PHARMACOPOEA

JAPONICA.

EDITIO ALTERA.

TOKYO.
ANNO XXIV MEIJI (1891).

PRAEFATIO.

Anno Meiji vigesimo primo (a. d. MDCCCLXXXVIII) mense Aprilis Ministerium Imperiale ad Intra Japoniae ad Pharmacopoeam Japonicam recensendam collegium decem virorum instituit, cui director salubritatis publicae praefectus erat.

Postquam in prima collegii sessione tractatum fuit, quaenam nova medicamenta quam primum in Pharmacopoeam Japonicam recipienda essent, *Cocaïnum hydrochloricum* et *Antipyrinum* tamquam nova medicamenta adhibenda esse a Ministerio decretum est.

Deinde collegium tantam rerum varietatem, quae in nova Pharmacopoeae Japonicae editione mutandae atque supplendae essent, proposuit, ut permultis his commutationibus insertis textus non jam parum lucidus planusque fieri videretur.

Propterea collegium in hanc sententiam dixit, universae Pharmacopoeae Japonicae compositionem esse permutandam itaque emendatae editionis rudimenta praeparari.

Quae ut bene ac prospere praeberentur, viris delectis negotium inter sese dividere placuit, et a mense Septembris anni Meiji vigesimi primi (a. d. MDCCCLXXXVIII) usque ad mensem Octobris anni Meiji vigesimi tertii (a. d. MDCCCLXXXX) in 68 specialibus atque 15 universalibus sessionibus consilium habebat. Proinde editionis emendandae rudimenta Ministerio ad Intra Imperiali tradita sunt.

In hac secunda editione et nova medicamenta triginta duo recepimus, et sexaginta septem, quae priore editione continebantur, removimus; praeterea experientia atque experimentis institutis edocti multa alia mutare necnon supplere necessarium duximus.

Quod ad commutationes factas attinet, haec praecipue moneamus:

1. In medicamentis explicandis hunc descriptionis ordinem servavimus:

a. modum parandi
b. qualitatem
c. reactionem
d. explorationem
e. usum
f. modum servandi
descripsimus.

2. Ubicunque de medicamentis fortioribus eorumque praeparatis disseruimus, qua ratione substantiae eorum efficientes examinentur, quantum potuimus, indicare studuimus.
3. Ubiubi medicamenta Japoniae familiaria peregrinorum medicamentorum locum tenere posse censuimus, in Pharmacopoeam recepimus.
4. Ad praeparata, sicut Tincturas, facilius examinanda saepe pondus specificum indicatum est.
5. Generalia ad praeparata pharmaceutica efficienda praecepta in textu nomini latino postposita sunt.
6. Medicamentorum nomina, ne in confusionem

vel errorem inducant, quoad ejus fieri potuit, simpliciora reddidimus.

7. Nomina substantiarum chemicarum latina praecipue ex Pharmacopoea Germanica atque Austriaca deprompsimus. In medicamentis enumerandis etiam partes constituentes descripsimus; v. g.

nomen vetus: *Kalii Acetas*,
nomen novum: *Kalium aceticum*,
nomen vetus: *Rheum*,
nomen novum: *Radix Rhei*.

Restat, ut eos, qui hac Pharmacopoea usuri sunt, haec moneamus:

Medicamenta ordine alphabetico nominum latinorum disposuimus.

Generali medicamentorum nomini latino nonnunquam synonimum, quod vulgo usurpatur, in capite inscriptionum subjecimus.

In explicandis medicamentis hunc descriptionis ordinem servavimus:

Primo loco modum parandi
Secundo „ qualitatem
Tertio „ reactionem
Quarto „ explorationem
Quinto „ usum
Sexto „ modum servandi
descripsimus.

In enumerandis medicamentis plantae atque animalia, a quibus orta sunt, nominantur.

Praecepta medicamentorum parandorum, nisi ad certam praeparati qualitatem praestandam necessaria sint, omittuntur.

Ubiubi praescripta rationis parandi non indicantur, atque identitas atque alteratio atque

absentia corporum alienorum juxta qualitatis, reactionis, explorationis descriptionem determinentur.

Medicamenta quemadmodum servari debeant, nisi singularium qualitatum causa cura diligentissima requiritur, diserte indicare supersedemus.

In ponderibus atque mensuribus indicandis systema metricum adhiberi decrevimus.

Numeros, quibus calor indicatur, de thermometro Celsiano intelligi volumus; tamquam temperatura normalis calor 15° intellegitur.

Ubicunque in textu vox Partis legitur, semper ponderum partes intelligi volumus.

Ubi quae sint rationes solutionum indicatur, cum dicimus (1=10), (1=20) similia, hoc significamus, substantiae partem unam in liquoris partibus decem vel viginti solvi oportere.

Ubicunque in medicamentis chemica ratione examinandis vox Aquae legitur, semper Aqua destillata adhibenda est.

Exploratio qualitativa medicamentorum, nisi diserte praecepta adjecta erint, in tubis exploratoriis decem centimetros cubicos corporum exami-

nandorum continentibus est efficienda.

Quando de solutione reagentium agitur, semper, si quae solutionis sit ratio non diserte indicatur, Solutionem aquosam intellegimus; plerumque autem, ut quam paucissimis dicamus, de reagentibus disserentes vocem Solutionis omisimus.

Maceratio calore 15 ad 25°, digestio calore 35 ad 45° efficiatur.

Ubicunque medicamenta a luce remota servari oportere indicavimus, vitrea nigra vel flava adhibenda sunt.

Nisi alia servandi ratio diserte praecepta erit, semper medicamenta exsiccata adhiberi oportet.

In praeparata exsiccando omne cantionis genus adhibendum est, ut calor 40° non superet.

Extremae Pharmacopoeae in separatis capitibus reagentium atque liquorum normalium indices sunt appositi; in quo quidem liquorum indice copiam aequivalentem medicamentorum examinandorum indicavimus.

Adjectae sunt Pharmacopoeae tabulae hae:

Primâ tabulâ ea medicamenta, quae omni tempore in officina pharmaceutica prompta esse oportet, continentur.

Ista medicamenta in textu signo ○ capiti inscriptionis praeposito indicantur.

Tabulâ secundâ medicamenta vulgo venenosa dicta, quae ab aliis separata in loco secluso servanda sunt, continentur.

Istis medicamentis in textu nota **cautissime** serventur apponitur.

Tabulâ tertiâ medicamenta fortiora, quae ab aliis separatim servanda sunt, continentur.

Istis medicamentis in textu nota **caute** serventur apponitur.

In tabulâ quarta medicamentorum doses maximae pro adulto, et singulae et pro die, leguntur.

Medico in praescriptione medicamenti has doses maximas transgredi non licet, nisi medicamentum signo ▽ muniatur.

In tabulâ quinta symbola chemica et pondera atomorum eorum elementorum, quae maximi momenti sunt, inveniuntur.

In postremo libro medicamentorum indicem ordine alphabetico nominum latinorum dispositum adjecimus.

Acidum aceticum.

Liquor limpidus, coloris expers, calore balnei aquae plane volatilis, ponderis specifici 1,048.

Acidum, Liquore Ammonii caustici neutralisatum, addito Ferro sesquichlorato, colorem sanguineum trahit.

Acidum, Liquore Natri caustici ad saturationem admixto, ne odorem empyreumaticum exhalet, neve, cum *parte aequali* Acidi sulfurici commixtum colorem ducat; qua mixtione refrigerata cum Solutione Ferri sulfurici saturata per strata disjuncta, zona intermedia subfusca ne oriatur.

Acidum, *volumine quintuplo* Aquae dilutum, ne Baryo nitrico, neve Argento nitrico, neve Liquore Ammonii caustici, neve Aqua hydrosulfurata turbetur vel coloretur. Cujus Acidi diluti *centimetris cubicis quinquaginta* cum *centimetro cubico uno* Solutionis Kalii permanganici commixtis, color ruber intra trigesimam partem horae ne evanescat.

Ad *centimetros cubicos duodecim* Liquoris Alkali normalis saturandos sufficiant *grammata duo*, id quod *triginta sex* Acidi acetici ($C_2H_4O_2$) in *partibus centum* respondet.

Acidum aceticum dilutum.

Acidi acetici *partes septendecim*.....**17**

et

Aquae *partes octoginta tres*.....**83**

misce.

Liquor limpidus, coloris expers.

Ad reagentia se habeat sicut sub Acido acetico dictum est.

Ad *centimetros cubicos decem* Liquoris Alkali normalis saturandos *grammata decem* Acidi sufficiant, id quod *sex* Acidi acetici ($C_2H_4O_2$) in *partibus centum* respondet.

Acidum aceticum glaciale.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris pungenter acidi, calore balnei aquae plane volatilis, frigore in massam crystallinam rigescens, calore circiter 16° liquescens, 117° ebulliens. Aqua, Spiritu, Aethere quavis proportione misceri potest; ponderis specifici 1,056 ad 1,064.

Ad reagentia se habeat sicut sub Acido acetico dictum est.

Ad saturandos *centimetros cubicos* non minus quam *quadraginta octo* Liquoris Alkali normalis sufficiant *grammata tria* Acidi, id quod minime *nonaginta sex* Acidi acetici ($C_2H_4O_2$) in *partibus centum* respondet.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis servetur.

○ Acidum arsenicosum.

Frusta alba, plus minusve pellucida vel porcellanae similia aut pulvis albus, in *partibus quindecim* Aquae ebullientis quamvis tarde perfecte solubilia; in carbone fervefacta odore alliaceo aufugientia.

Solutio aquosa, Acido hydrochlorico acidulata, si Aqua hydrosulfurata addideris, sedimentum flavum, in Liquore Ammonii caustici solubile, praebet.

Acidum arsenicosum in tubo vitreo fervefactum nullo residuo remanente nisi paullo sublimetur.

Centimetri cubici decem solutionis, quam solvendo *gramma dimidium* Acidi et *grammata tria* Natrii bicarbonici in Aquam ebullientem et refrigeratam Aqua ad *centimetros cubicos centum* diluendo paraveris, *centimetros cubicos* Liquoris Jodi decinormalis non minus decolorent quam *9,8*, id quod minime *nonaginta septem* Acidi arsenicosi (As_2O_3) in *partibus centum* respondet.

Cautissime servetur.

Acidum benzoïcum.

Lamellae vel crystalla acubus similia, nitida, alba vel subflava; fervefacta sublimantur; calore circiter 120° liquescunt. In Spiritu, Aethere, Chloroformio, Liquore Natri caustici solubilia, in Aqua frigida paullum, largiter in Aqua ebulliente solubilia.

Solutio aquosa, Ferro sesquichlorato adjecto, sedimentum subflavum efficit.

Acidum ne odorem urinae exhalet; fervefactum nullo residuo remanente avolet.

Acidi benzoïci *gramma 0,1* in *centimetris cubicis quinque* Aquae ebullientis solutum, in tubulo exploratorio leviter clauso cum *grammate 0,1* Kalii permanganici paulisper tepefactum, si tubulo aperto refrigeraveris, ne Olei Amygdalarum amararum aetherei odorem exhalet. Solutio aquosa, Ferro sesquichlorato addito, ne colorem violaceum trahat.

Acidi *grammate 0,1* cum Liquore Natrii carbonici usque ad reactionem alcalinam commixto, exsiccato tum ad carbonem redacto, id quod restiterit, si in *centimetros cubicos triginta* Aquae solveris et filtraveris, det liquorem, qui Acido nitrico acidulatus, Argento nitrico addito, tantummodo opalescat.

○ Acidum boricum.

Lamellae crystallinae, coloris expertes, nitoris margaritacei; fervefactae, vapores aquae emittentes, liquescunt, tum intumescunt, in calore fortiore iterum liquescunt, refrigeratae in massam diaphanam, coloris expertem, vitro similem rigescunt; in Aqua ebulliente, Spiritu ebulliente facile solubiliae.

Solutio aquosa, *guttis nonnullis* Acidi hydrochlorici temperata, chartam exploratoriam luteam colore fusco inficit.

Solutio aquosa (1 = 50) ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii caustici, neve Liquore Ammonii sulfurati turbetur vel coloretur; eadem, si *guttis nonnullis* Acidi nitrici temperaveris, Argento nitrico aut Baryo nitrico additis, tantummodo opalescat.

○ Acidum carbolicum.

Massa neutralis, coloris expers vel vix rubicunda, odoris peculiaris, e crystallis longis, acuminatis composita; in quavis copia Spiritus, Aetheris, Chloroformii, Glycerini, nec non Liquoris Natri caustici limpide solvitur; calore circiter 38° liquescit et 180° ebullit.

Solutio aquosa diluta, Ferro sesquichlorato addito, colorem violaceum trahit; in eadem Aqua bromata sedimentum album, flocculosum efficit.

Acidum ne sit odoris insuavis vel empyreumatici; incensum flamma alba nullo residuo remanente deflagret.

Acidi *partes decem* cum Aquae *parte una* commixtae efficiant mixturam limpidam, quae majore Aquae copia turbetur et, si usque ad *partes ducentas* diluta erit, in liquorem limpidum revertat.

Caute servetur.

Acidum carbolicum crudum.

Liquor limpidus, coloris plus minusve e rutilo fusci, odoris empyreumatici, in Aqua haud plane, facile autem in Spiritu aut Aethere solubilis; in Liquore Natri caustici paene perfecte solubilis.

Solutio aquosa, Ferro sesquichlorato addito, colorem violaceum trahit; in eadem Aqua bromata sedimentum album, flocculosum efficit.

Acidi *volumina decem* cum *voluminibus nonaginta* mixturae, quam e *voluminibus aequalibus* Liquoris Natri caustici et Aquae paraveris, conquassata, ne plus quam *volumen unum* olei insolubilis relinquant.

Caute servetur.

Acidum chromicum.

Crystalla coccinea, aëre deliquescentia, vel massa coloris clarius rubri, laxa, lanosa; in Aqua facile solubilia. Acidum cum Spiritu aut aliis corporibus, quae facile oxydantur, commixtum crepitare vel ardescere potest.

Acidum fervefactum, Oxygenium emittens liquescit et colorem obscure viridem ducit; cum Acido hydrochlorico calefactum Chlorum emittit.

Solutio aquosa ($1 = 100$), Acido hydrochlorico temperata, Baryo chlorato tantummodo perpaullum turbetur.

Caute, in vasis epistomiis vitreis bene clausis, servetur.

Acidum citricum.

Crystalla coloris expertia, diaphana, in *partibus 0,6* Aquae, *parte una* Spiritus, *partibus* circiter *quinquaginta* Aetheris solubilia.

Solutio aquosa, Aqua Calcariae abunde admixta, si coxeris sedimentum album dat, quod, refrigeratione facta, prorsus resolvitur.

Acidum in lamina platinea candefactum primo liquescat, tum carbonescat, postremo nullo residuo remanente nisi perpaullo deflagret. Acidi *gramma unum* cum Acidi sulfurici *grammatis decem* commixtum et calore balnei aquae per horam unam calefactum ne colorem rubro fuscum ducat.

Solutio aquosa (1 = 10) Solutione Calcii sulfurici addita, clara remaneat; ne Baryo nitrico, neve Ammonio oxalico turbetur nisi tantummodo opalescat. Eadem solutio, si Liquore Ammonii caustici saturaveris, Aqua hydrosulfurata ne mutetur.

Acidum hydrochloricum.

Liquor limpidus, coloris expers, in aëre nebulas albas exhalans; calefactus plane avolans; ponderis specifici 1,15.

Acidum, Argento nitrico addito, sedimentum album, caseosum, in Liquore Ammonii caustici plane solubile praebet.

Acidum, Aquae *partibus sex* dilutum, Aqua hydrosulfurata abunde addita, ne mutetur; quae mixtura, si in vase bene clauso paulisper candefeceris, ne colorem flavum ducat. Idem Baryo nitrico admixto intra duodecimam partem horae ne turbetur, neve, Solutione Zinci jodati cum Amylo addita, colorem caeruleum ducat, neve, Liquore Ammonii caustici in excessu admixto, praecipitetur vel coloretur. Haec mixtura, Liquore Ammonii sulfurati admixto leviter tantummodo viride tingatur.

Grammata 3,65 Acidi *centimetros cubicos triginta* Liquoris Alkali normalis saturent, id quod *triginta* Acidi hydrochlorici (HCl) in *partibus centum* respondet.

Caute, in vasis epistomiis vitreis bene clausis, servetur.

Acidum hydrochloricum crudum.

Liquor limpidus, plerumque coloris subflavi, in aëre nebulas albas exhalans, ponderis specifici circiter 1,16; in *partibus centum* plus quam *partes triginta* Acidi hydrochlorici (HCl) continet.

Caute, in vasis epistomiis vitreis bene clausis, servetur.

○ Acidum hydrochloricum dilutum.

Acidi hydrochlorici *partem unam*.....1
et
Aquae *partes duas*.....2
misce.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1,05.

Ad reagentia se habeat sicut sub Acido hydrochlorico dictum est.

Grammata 3,65 Acidi *centimetros cubicos decem* Liquoris Alkali normalis saturent, id quod *decem* Acidi hydrochlorici (HCl) in *partibus centum* respondet.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis servetur.

○ Acidum nitricum.

Liquor limpidus, coloris expers; calefactus plane avolans; ponderis specifici 1,317.

Liquor, Cupro raspato adjecto, vapores e flavo rubros emittens, colorem caeruleum ducit.

Acidum, *partibus quattuor* Aquae dilutum, ne Argento nitrico, neve Aqua hydrosulfurata mutetur; Baryo nitrico addito intra duodecimam partem horae tantummodo opalescat; cum pauxillo Zinci metallici puri candefactum, deinde cum *parte exigua* Chloroformii conquassatum, huic colorem violaceum ne inducat; Liquore Ammonii caustici in excessu admixto, ne mutetur; quae mixtura, Liquore

Ammonii sulfurati adjecto, tantummodo colorem viridem trahat.

Acidi *grammata 6,3 centimetros cubicos quinquaginta* Liquoris Alkali normalis saturent, id quod *quinquaginta* Acidi nitrici (HNO_3) in *partibus centum* respondet.

Caute, in vasis epistomiis vitreis bene clausis, servetur.

Acidum nitricum dilutum.

Acidi nitrici *partem unam*.....1

et

Aquae *partes quattuor*.....4

misce.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1,059.

Ad reagentia se habeat sicut sub Acido nitrico dictum est.

Acidi *grammata 6,3 centimetros cubicos decem* Liquoris Alkali normalis saturent, id quod *decem* Acidi nitrici (HNO_3) in *partibus centum* respondet.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis servetur.

Acidum nitricum fumans.

Liquor limpidus, e fusco ruber, in aëre vapores suffo-

cantes, rubros exhalans; ponderis specifici circiter 1,5.

Acidum, Aquae *partibus* circiter *centum* dilutum, Argento nitrico, aut Baryo nitrico tantummodo turbetur.

Caute, in vasis epistomiis vitreis bene clausis, loco frigido, servetur.

Acidum phosphoricum.

Liquor limpidus, et coloris et odoris expers, ponderis specifici 1,12; in *partibus centum partes viginti* Acidi phosphorici (H_3PO_4) continet.

Acidum, Natrio carbonico neutralisatum, admixto Argento nitrico, sedimentum praebet flavum, in Acido nitrico et in Liquore Ammonii caustici solubile.

Acidum, Natrio carbonico abunde addito, ne turbetur, neve, Acido hydrothionico in excessu addito, ne si paulisper candefeceris quidem in vase bene clauso, colorem flavum vel fusco nigrum ducat. Cum *volumine aequali* Acidi sulfurici commixto et in frigore cum Solutione Ferri sulfurici saturata per strata disjuncto, zona intermedia fusca ne oriatur. Acidum, Argento nitrico ne turbetur, neque calore, neve, *volumine triplici* Aquae dilutum, Baryo nitrico statim turbetur. Cum Spiritus *volumine quadruplo* commixtum, limpidum remaneat.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis servetur.

Acidum phosphoricum dilutum.

Acidi phosphorici.....1
et
Aquae.....1
singulorum *partem unam* misce.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1,057; in *partibus centum partes decem* Acidi phosphorici (H_3PO_4) continet.

Ad reagentia se habeat sicut sub Acido phosphorico dictum est.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis servetur.

○ Acidum salicylicum.

Crystalla alba, acubus similia vel pulvis laxus, crystallinus, odoris expertia, saporis e subdulci acidi, subacris; calore circiter 160° liquescentia, in Aquae frigidae *partibus* circiter *sexcentis* solubilia, facilius in Aqua ebulliente, Spiritu, Aethere. Solutio aquosa reactionem acidam praebet et Liquore Ferri sesquichlorati addito, colorem violaceum ducit.

Acidum, in lamina platinea candefactum, deflagret residuo non remanente et Acido sulfurico admixto, colorem nullum aut tenuem praebens solvatur.

Acidum, in *partibus* circiter *decem* Spiritus solutum et Acido nitrico acidulatum, Argento nitrico addito, tantummodo turbetur. Si Acidi *grammata 0,2*, in *centimetris*

cubicis quinque Liquoris Natrii carbonici soluta, cum *centimetris cubicis* circiter *quinque* Aetheris conquassaveris, hic evaporatus tantummodo exiguum residuum relinquat, quod ne odorem Acidi carbolici praebeat.

Acidum sulfuricum.

Liquor limpidus, et coloris et odoris expers, spissitudinis olei, in lamina platinea calefactus plane volatilis, ponderis specifici circiter 1,838.

Acidum, Aqua dilutum, Baryo nitrico addito, sedimentum praebet album, in Acidis non solubile.

Acidum, *volumine triplici* Spiritus admixto, vel longiore temporis spatio interjecto, ne turbetur; Acido cum Solutione Ferri sulfurici saturata per strata disjuncto, zona intermedia fusca ne oriatur. Acidum, *volumine quintuplo* Aquae dilutum, limpidum remaneat, ne Argento nitrico, neve Aqua hydrosulfurata abunde adjecta, mutetur; quae mixtura, si in vase bene clauso paulisper candefeceris, ne colorem flavum ducat. Hoc Acidum dilutum, Liquore Ammonii caustici in excessu admixto, si Liquorem Ammonii sulfurati addideris, tantummodo colorem viridem ducat. Hujus Acidi diluti *centimetri cubici viginti quinque*, cum *voluminibus aequalibus* Aquae commixti, *centimetrum cubicum unum* Liquoris Kalii permanganici ne statim decolorent.

Acidi *centimetri cubici 2,45* minime *centimetros cubicos*

quadraginta septem Liquoris Alkali normalis saturent, id quod non minus quam *partibus nonaginta quattuor* Acidi sulfurici (H_2SO_4) in *partibus centum* respondet.

Caute, in vasis epistomiis vitreis bene clausis, servetur.

Acidum sulfuricum crudum.

Liquor limpidus, coloris expers vel subfuscus, spissitudinis olei, ponderis specifici minime 1,83; Acidum in *partibus centum* plus quam *partes nonaginta unam* Acidi sulfurici (H_2SO_4) continet.

Caute, in vasis epistomiis vitreis bene clausis, servetur

○ Acidum sulfuricum dilutum.

Acidi sulfurici *partem unam*.....**1**

in

Aquae *partes novem*.....**9**

caute continenter agitando infunde.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1,063 ad 1,067.

Ad reagentia se habeat sicut sub Acido sulfurico dictum est.

Acidi *grammata 4,9 centimetros cubicos 9,4* ad *decem* Liquoris Alkali normalis saturent, id quod in *centum partibus 9,4* ad *decem* Acidi sulfurici (H_2SO_4) respondet.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis servetur.

○ Acidum tannicum.

Pulvis subflavus vel squamae tenues, nitidae, reactionis acidae, saporis fortiter adstringentis. Acidum in Spiritu solubile, non in Aethere, Chloroformio, Benzolo.

Solutio aquosa, Solutione glutini vel albuminis addita, sedimentum album, flocculosum efficit; eadem, Liquore Ferri sesquichlorati admixto, sedimentum caeruleo nigrum praebet.

Acidum, in lamina platinea ignitum residuum ne relinquat nisi paullum.

Acidum, *quinque partibus* Aquae calidae limpide vel propemodum limpide solvatur; quae solutio refrigeratione facta, massam resinosam ne excernat. *Partibus quinque* Spiritus solutum limpidum et subfuscum sit; quae solutio spirituosa ne *volumine dimidio* Aetheris quidem admixto turbetur.

○ Acidum tartaricum.

Crystalla columellaria, et coloris et odoris expertia, saepe in crustis cohaerentia vel pulvis albus crystallinus, in Aquae *partibus aequalibus*, in Spiritus *partibus tribus* solubilia, in Aethere, Chloroformio, Benzolo paene non solubilia, fervefacta cum odore Sacchari tosti deflagrantia.

Solutio aquosa Acidi, Liquore Kalii acetici adjecto, dat sedimentum crystallinum.

Acidum, in lamina platinea ignitum, nullo residuo remanente, nisi tantummodo exiguo deflagret.

Solutio aquosa (1=10), Liquore Ammonii caustici neutralisata, Aqua hydrosulfurata ne mutetur; ne Calcio sulfurico, neve Argento nitrico, neve Ammonio oxalico turbetur; Baryo nitrico, tantummodo turbetur.

Adeps suillus.

Sus Scropha *Linn.*

Ex adipe liquefaciendo, lavando, Aquam removendo paratur et albus est.

Calore 35 ad 40° ita liquescat, ut fiat liquor limpidus, coloris expers, odoris non rancidi. Solutio, quam ex adipe cum Spiritu fervido conquassando, refrigeratam filtrando, paraveris, Aqua diluta chartam exploratoriam ne mutet.

○ Aether.

Liquor limpidus, coloris expers, facile volatilis, reactionis neutralis, odoris peculiaris, calore circiter 35° ebulliens; Spiritu, Acido acetico glaciali, Oleisque sebacicis quavis proportione misceri potest; ponderis specifici circiter 0,728.

Aether chartam exploratoriam Aqua humectatam ne mutet. Aetheris *centimetri cubici quindecim*, in patina

exhalati ne relinquant odorem, neve in balneo aquae evaporati residuum.

Aqua cum Aetheris *volumine aequali* conquassata ne plus quam *decima parte* amplietur.

In vasis bene clausis, loco frigido et obscuro, servetur.

○ Aloë.

Aloës species Capenses.

Succus decoctus ex his speciebus paratus. Massa perfusca, facile fragilis, odoris peculiaris, saporis valde amari, quae fracturam conchatam, nitoris vitrei, ad marginem subrubram vel clare fuscam, pellucidam praebet. Subtilissime contrita pulverem flavum dat, qui calore balnei aquae mollescit, neque vero confluit.

Aloë *parte duplici* Aquae ebullientis superfusa solutionem paene limpidam efficiat, ex qua refrigerata circiter *copia dimidia* denuo secedat. Cum *parte decemplici* Spiritus calidi solutionem paene limpidam praebeat, quae refrigerata ne turbetur.

Alumen.

Crystalla octaëdrica vel fragmenta crystallina, coloris expertia, diaphana, dura, saporis subdulci constringentis, reactionis acidae, in *partibus 10,5* Aquae solubilia, non in

Spiritu. Calefacta liquescunt et fortiter intumescunt, postremo massam albam, porosam relinquunt.

Solutio aquosa, Liquore Natri caustici admixto, sedimentum album, gelatinosum efficit, quod, si Liquorem Natri caustici in excessu addideris, solvitur, Ammonio chlorato addito in conspectum redit.

Solutio aquosa (1=20) Aqua hydrosulfurata ne mutetur, *gutta una* Solutionis Kalii ferrocyanati adjecta, dumtaxat colorem subcaeruleum ducat, cum excessu Liquoris Natri caustici calefacta, ne Ammonium emittat, quae refrigerata, Aqua hydrosulfurata addita, sedimentum ne praebeat.

Alumen exsiccatum.

Pulvis albus, subtilis, in Aqua quamvis tarde sed plane solubilis.

Ad reagentia se habeat sicut sub Alumine dictum est.

Alumen exsiccatum leni ardore ne plus ponderis quam in *partibus centum partes decem* amittat.

In vasis bene clausis servetur.

Ammoniacum.

Dorema Ammoniacum *Don.*

Gummi-resina constat e granulis, tum separatis, tum plus minusve inter se cohaerentibus vel massis ampliori-

bus coloris e flavo fusci, per recentem fracturam turbide albescentis. Ammoniacum frigore fragile, calore mollescit, nec vero limpide liquescit; est odoris peculiaris, saporis amari, acris.

Grammata quinque Ammoniaci cum Aquae *grammatis quindecim* contrita, emulsionem efficiunt albam, quae, addito Liquore Natri caustici, colorem flavum, tum fuscum trahit.

Ammoniacum, Acido hydrochlorico superfusum, ne leni calore quidem colorem rubrum vel violaceum ducat. In cinerem redactum ne plus residui fixi quam *sex* ex *partibus centum* relinquat.

Ad usum frigore rigefactum in pulverem redigatur et ope cribri quisquiliis mundetur.

Ammonium bromatum.

Crystalla coloris expertia vel pulvis crystallinus, albus, aëri longiore tempore exposita, colorem subflavum contrahit, in Aquae *partibus una et dimidia* et Spiritus *partibus* circiter *centum quinquaginta* solubilia.

Solutio aquosa, Aqua chlorata addita, colorem e flavo fuscum ducit; cum Liquore Natri caustici fervefacta, Ammonium emittit.

Sal candefactum sit plane volatilis, *pars exigua* salis in patina porcellanica *nonnullis guttis* Acidi sulfurici diluti humectata ne statim colorem flavum trahat.

Solutio aquosa (1=10) chartam exploratoriam caeruleam ne statim rubefaciat; Baryo nitrico addito propemodum turbetur; Aqua hydrosulfurata ne mutetur. *Centimetri cubici quinque* solutionis aquosae, si *gutta una* Liquoris Ferri sesquichlorati temperaveris et cum Chloroformio conquassaveris, huic colorem violaceum ne inducant.

Centimetri cubici decem solutionis, quae *gramma unum* Ammonii bromati siccati in *centimetris cubicis centum* Aquae solutum continet, si *nonnullas guttas* Solutionis Kalii chromici addideris, ne plus quam *centimetros cubicos 10,4* Liquoris Argenti nitrici decinormalis requirant, ut constanter rubicentur.

Ammonium carbonicum.

Massae albae, densae, durae, plus minusve diaphanae, fibroso-crystallinae, odoris perammoniacalis; aëre fatiscunt, frequenter extrinsecus pulvere albo obteetae sunt, calore aufugiunt, in *partibus quinque* Aquae, in Acidis dilutis vehementer effervescentes solvuntur.

Solutio aquosa (1 = 20) Acido nitrico diluto saturata, ne Baryo nitrico, neve Argento nitrico turbetur. Eadem solutio, Acido sulfurico diluto abunde addito, Aqua hydrosulfurata ne mutetur.

Centimetri cubici quinquaginta solutionis aquosae (1=20) *centimetrum cubicum unum* Solutionis Kalii per-

manganici admixtum ne intra duodecimam partem horae evidenter decolorent.

Salis *gramma unum*, Acido nitrico in excessu saturatum et in balneo aquae evaporando siccatum, residuum coloris expers efficiat, quod calore majore plane avolet neque colorem nigrum trahat.

○ Ammonium chloratum.

Pulvis crystallinus, albus vel massae durae, fibroso-crystallinae, odoris expertes, in aëre persistentes, calore volatiles, in *partibus tribus* Aquae frigidae, circiter *aequalibus* Aquae ebullientis solubiles, in Spiritu plane non solubiles.

Solutio aquosa, Argento nitrico admixto, sedimentum album efficit in Acido nitrico diluto non solubile et cum Liquore Natri caustici calefacta Ammonium emittit.

Solutio aquosa (1 = 20) ne Aqua hydrosulfurata, neve Baryo nitrico, neve Acido sulfurico diluto mutetur; Liquore Ammonii sulfurati addito, ne sedimentum efficiat.

Salis *gramma unum* cum exiguo Acido nitrico in balneo aquae evaporando siccatum, residuum album praebeat, quod calore fortiore plane avolet neque colorem nigrum trahat.

Amylium nitrosum.

Liquor limpidus, subflavus, odoris haud insuavis qualis est fructuum, soporis aromatici, ustulantis, reactionis neutralis vel subacidae, calore circiter 98° ebulliens, in Aqua fere insolubilis; Spiritu, Aethere, Chloroformio, Benzolo quavis proportione misceri potest. Incensus flamma flava, lucida, fuliginosa deflagrat; ponderis specifici circiter 0,873.

Amylium nitrosum cum Liquore Kali caustici in excessu calefactum odorem Alcoholis amylici evolvit; quod refrigeratum cum Kalio jodato commixtum et Acido acetico acidulatum Jodum liberum emittit.

Mixtio, quam ex *centimetris cubicis* singulorum *quinque* Amylii nitrosi et Liquoris Alkali decinormalis conquassando paraveris, chartam exploratoriam caeruleam ne rubefaciat. *Centimetrus cubicus unus* Amylii nitrosi cum mixtione ex *centimetro cubico* singulorum *uno et dimidio* Liquoris Argenti nitrici et Spiritus absoluti composita et cum *nonnullis guttis* Liquoris Ammonii caustici leniter calefactus ne colorem fuscum vel nigrum efficiat.

Caute, in vasculis a luce remotum, servetur.

Amylum.

A. **Erythronium dens canis** *Linn.*

Pulvis pure albus, subtilis, et odoris et saporis expers, ope microscopii contemplanti e granulis ovalibus constare

videtur, quorum alia sunt minima, alia latiora. Granula structuram excentricam et in parte tenuiore foramen parvum praebent.

B. **Pueraria Thunbergiana** *Benth.*

Frustula alba, irregularia, contrita pulverem pure album, et odoris et saporis expertem efficientia, ope microscopii contemplanti e granulis multangularibus, magnitudinis variae constare videntur.

Amylum ne Aqua frigida, neve Spiritu solvatur; cum *partibus centum* Aquae agitando coctum mucilaginem efficit frigore perliquidam, neque odoris nec saporis peculiaris, reactionis neutralis; quae mucilago cum Solutione Jodi commixta colorem caeruleum ducit.

Amylum in cinerem redactum ne plus quam *unam partem* residui fixi ex *partibus centum* relinquat.

○ Antidotum Arsenici.

Liquoris Ferri sulfurici oxydati *partes centum*.....**100**

Aquae communis *partibus ducentis quinquaginta*.....**250**

misce. Cui liquori adde mixturam e

Magnesiae ustae *partibus quindecim*.....**15**

et

Aquae communis *partibus ducentis quinquaginta*.....**250**

compositam et diligenter conquassa ut fiat puls aequabilis.

Mixtura, quotiescumque praescripta erit, recenter paranda est.

Quem ad finem *grammata centum* Liquoris Ferri sulfurici oxydati et *grammata quindecim* Magnesiae ustae semper in promptu habere necesse est.

○ Antifebrinum

Acetanilidum.

Lamellae crystallinae, nitidae, et coloris et odoris expertes, reactionis neutralis, saporis leniter acris, colore 113° liquescentes, in *partibus* circiter *ducentis* Aquae frigidae, in *partibus duodeviginti* Aquae fervidae, in *partibus tribus et dimidio* Spiritus solubiles.

Antifebrini *gramma 0,1* cum *centimetris cubicis duobus* Acidi sulfurici diluti paulisper coctum, *nonnullis guttis* Spiritus additis, odorem Aetheris acetici evolvit; quae mixtura Liquore Natri caustici usque ad reactionem alcalinam temperata et Aqua diluta, si, refrigeratione facta, *guttas nonnullas* Liquoris Calcariae chloratae addideris, colorem violaceum ducit.

In lamina platinea calefactum nullo residuo fixo remanente deflagret.

Caute servetur.

○ Antipyrinum.

Crystalla prismatica, coloris expertia vel pulvis crystallinus albus, reactionis neutralis, odoris fere expers, saporis subamari, calore circiter 110° liquescit; in *parte aequali* Aquae, Spiritus, Chloroformii, *partibus* circiter *quinquaginta* Aetheris solvitur.

Solutio aquosa, *gutta una* Liquoris Ferri sesquichlorati adjecta, colorem sanguineum ducit, qui, *guttis nonnullis* Acidi sulfurici admixtis, in flavum abit.

Solutio aquosa diluta, *guttis nonnullis* Acidi nitrici fumantis additis colorem viridem ducit, qui *nonnullis guttis* Acidi nitrici fumantis admixtis, si coxeris, in rubrum abit.

Antipyrinum in lamina platinea fervefactum, nullo residuo fixo remanente deflagret; in Acido sulfurico solutum ne coloretur.

Solutio aquosa (1 = 3) tantummodo coloris subflavi sit.

Caute servetur.

Apomorphinum hydrochloricum.

Pulvis albus vel e griseo albus, siccus, crystallinus, neutralis; in aëre humido luci objectus brevi colorem viridem ducit; in Aqua aut Spiritu plane solubilis, in Aethere vel Chloroformio paene non solubilis.

Sal, Liquore Natri caustici abunde addito, solvitur;

quae solutio aëri exposita brevi tempore in colorem purpureum, postea in nigrum abit.

In lamina platinea ignitum nullo residuo fixo remanente deflagret.

Sal, in *partibus centum* Aquae solutum, ne statim colorem intense viridem ducat. Solutio aquosa, Liquore Natrii bicarbonici addito, sedimentum album, amorphum det, quod aëri objectum colorem viridem trahat et cum Aethere conquassatum, huic colorem purpureum inducens plane solvatur.

Cautissime, a luce remotum, servetur.

○ Aqua Ammoniae.

Liquor Ammonii caustici.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris peculiaris, penetrantis, reactionis peralcalinae, calore balnei aquae volatilis, ponderis specifici 0,960.

Aqua Ammoniae cum *volumine quadruplo* Aquae Calcariae commixta tantummodo turbetur, Acido sulfurico diluto abunde addito nullum odorem empyreumaticum emittat; ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati, neve Ammonio oxalico mutetur. Aqua Ammoniae Acido nitrico diluto saturata, ne Baryo nitrico, neve Argento nitrico turbetur; evaporando siccata residuum coloris expers relinquat, quod calore fortiore plane avolet neque colorem nigrum ducat.

Grammata 3,4 centimetros cubicos viginti Liquoris Acidi normalis saturent, id quod *partibus decem* Ammonii (NH_3) in *centum* respondet.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis, loco frigido, servetur.

○ Aqua Calcariae.

Calcariae ustae *parti uni*.....**1,**

Aquae communis *partibus quattuor*.....**4**

exstinctae, agitans adjice

Aquae communis *partes quinquaginta*.....**50.**

Sedimento submisso partem liquidam effunde et sedimento relicto iterum admisce

Aquae communis *partes quinquaginta*.....**50.**

Aqua Calcariae sit limpida, coloris expers, reactionis peralcalinae, et aëre et ebullitione turbatur.

Aqua Calcariae, gase Acidi carbonici in excessu inducto, paulisper cocta jam ne reactionem alcalinam efficiat.

Centimetri cubici centum, additis *centimetris cubicis 3,8* Liquoris Acidi normalis, reactionem acidam ne praebeant.

Ad usum decantha vel filtra.

In lagenis bene clausis servetur.

Aqua carbolisata.

Acidi carbolici *partes quinque*.....**5**
solve in
Aquae communis *partes nonaginta quinque*....**95.**

Aqua chlorata.

Liquor limpidus, e flavo viridis, odoris suffocantis, chartam exploratoriam caeruleam statim decolorans, calore balnei aquae plane volatilis.

Centimetri cubici decem Aquae chloratae, quae antea cum Hydrargyro in excessu addito usque ad odoris Chlori evanescentiam agitata et filtrata erit, *centimetris cubicis quinque* Liquoris Alkali normalis admixtis, ne reactionem acidam praebeant.

Centimetri cubici viginti quinque Aquae chloratae, additis solutione aquosa *grammatis unius* Kalii jodati et *centimetris cubicis viginti octo* Liquoris Natrii subsulfurosi decinormalis, si Solutionem Amyli temperaveris, colorem caeruleum ducant, id quod non minus quam *partibus 0,4* Chlori in *centum* respondet.

In vasculis epistomiis vitreis bene clausis et completis, a luce remota, servetur.

Aqua Cinnamomi.

Olei Cinnamomi *partes duas*.....**2**

cum

Aquae fervidae *partibus mille*.....**1000**

fortiter conquassatas et refrigeratas filtra per chartam bibulam antea Aqua imbutam.

Aqua communis.

Liquor limpidus, et coloris et odoris expers, reactionis neutralis, saporis refrigerantis.

Aqua communis evaporando siccata tum candefacta non plus residui quam *partem dimidiam* ex *partibus mille* relinquat. Aqua communis ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati mutetur; cum reagente Nessleri commixta tantummodo colorem subflavum trahat.

In *centimetris cubicis centum quinquaginta* Aquae communis cum *centimetris cubicis decem* Acidi sulfurici diluti coctis *centimetrus cubicus unus* Liquoris Kalii permanganici admixtus ne intra duodecimam partem horae decoloretur.

○ Aqua destillata.

Liquor limpidus, neutralis, et coloris et odoris et saporis expers; evaporata nullum residuum relinquat.

Aqua destillata cum *volumine duplo* Aquae Calcariae mixta ne turbetur; ne reagente Nessleri, neve Argento nitrico, neve Baryo nitrico, neve Ammonio oxalico mutetur.

Aqua Florum Aurantii.

Olei Aurantii Florum *partem unam*.....**1**

cum

Aquae fervidae *partibus mille*.....**1000**

fortiter conquassatam et refrigeratam filtra per chartam bibulam antea Aqua imbutam.

Aqua Foeniculi.

Olei Foeniculi *partes duas*.....**2**

cum

Aquae fervidae *partibus mille*.....**1000**

fortiter conquassatas et refrigeratas filtra per chartam bibulam antea Aqua imbutam.

Aqua Menthae.

Olei Menthae *partes duas*.....**2**

cum

Aquae fervidae *partibus mille*.....**1000**

fortiter conquassatas et refrigeratas filtra per chartam bibulam antea Aqua imbutam.

○ Aqua Pruni Armeniacae.

Seminum Pruni Armeniacae *partes duodecim*...**12**

contunde, libera exprimendo non calefaciens ab oleo pingui et in pulverem subtilem redige.

Quem pulverem in ambige ampla cum

Aquae communis *partibus octoginta*.....**80**

bene commisce, claude, per horas duodecim sepone.

Partes undecim **11**

caute destilla in receptaculum bene refrigeratum.

Quantum id, quod destillaveris, Acidi hydrocyanici contineat, ratione infra descripta examina; deinde dilue tanta quantitate Aquae quanta sufficiat, ut *mille partes unam* Acidi hydrocyanici contineant.

Centimetris cubicis viginti quinque Aquae Pruni Armeniacae cum *centimetris cubicis quinquaginta* Aquae dilutis et Magnesia hydrata pultiformi adeo temperatis, ut pellucida esse desinant, *guttas nonnullas* Solutionis Kalii chromici admisce. Tum Liquorem Argenti nitrici decinor-

malem affunde, donec color ruber, quotiescumque guttam adjeceris, agitando jam non evanescat. Numero *centimetrorum cubicorum* Liquoris Argenti nitrici decinormalis, quos consumpseris, cum *0,108* multiplicato indicatur, quantum Acidi hydrocyanici *mille partes* contineant.

Liquor limpidus vel paene limpidus, Oleum Amygdalarum amararum aethereum redolens; qui odor, Acido hydrocyanico Argenti nitrici ope sublato, tamen remaneat.

Aquam Amygdalarum amararum, Aquam Lauro-Cerasi, Aquam ex Foliis Pruni macrophyllae Sieb. et Zucc. destillando paratam, si odor et quantitas Acidi hydrocyanici supra dictis respondent, loco Aquae Pruni Armeniacae dispensare licet.

Caute servetur.

Argentum nitricum crystallisatum.

Crystalla lamellaria, coloris expertia, reactionis neutralis, in *partibus 0,6* Aquae, in *partibus duodecim* Spiritus solubilia.

Solutio aquosa cum Acido hydrochlorico sedimentum album caseosum in Liquore Ammonii caustici plane solubile, in Acido nitrico non solubile efficit.

Solutione aquosa Acido hydrochlorico praecipitata, liquor filtrando efficiatur, qui evaporatus residuum non relinquat.

Caute, a luce remotum, servetur.

Argentum nitricum cum Kalio nitrico.

Argenti nitrici.....1

et

Kalii nitrici.....1

singulorum *partem unam* inter se mixtas caute liqueface, tum in bacillorum formam funde.

Bacilla alba vel e griseo alba, dura, per fracturam granuloso-crystallina.

Gramma dimidium, in Aquae *centimetris cubicis quinque* solutum, si *centimetros cubicos quindecim* Liquoris Natrii chlorati decinormalis et *guttas nonnullas* Solutionis Kalii chromici temperaveris, ad liquorem rubefaciendum non plus quam *centimetrum cubicum dimidium* Liquoris Argenti nitrici decinormalis requirat.

Caute, a luce remotum, servetur.

○ Argentum nitricum fusum.

Bacilla cylindrica, alba vel e griseo alba, per fracturam radiatim crystallina, calore liquescentia.

Ad reagentia se habeat sicut sub Argento nitrico crystallisato dictum est.

Caute, a luce remotum, servetur.

Asa foetida.

Ferula Scorodosma *Benth.* et *Hook.*, **Ferula Narthex** *Boiss.* et aliae **Ferulae** species.

Gummi-resina aut granula conglutinata vel libera aut in massis coloris obscuri inclusa, odoris alliacei; extrinsecus coloris e griseo violacei vel fusci, per fracturam recentem subalba, paullum rubre iridescentia.

Asa foetida cum Aqua contrita emulsionem albidam, addito Liquore Natri caustici, flavescentem efficit.

Acido hydrochlorico superfusa, ne effervescat; Acidum ipsum longiore temporis spatio interjecto ne colorem subrubrum trahat.

Ad cinerem redacta ne plus residui fixi quam *decem* ex *partibus centum* relinquat.

Ad usum Asa foetida frigore rigefacta in pulverem redigatur et ope cribri quisquiliis mundetur.

○ Atropinum sulfuricum.

Pulvis albus, crystallinus, neutralis, in *parte aequali* Aquae, in *partibus tribus* Spiritus solubilis.

Gramma 0,001 in tubulo vitreo usque ad evolutionem nebulae albae fervefactum, si Acidi sulfurici circiter *centimetrum cubicum unum* addideris, denuo caleface, donec furvescere incipiat. Si tum illico circiter *centimetros cubicos duos* Aquae repente admiscueris, odor suavis,

maxime peculiaris exhalatur. Quo facto si crystallulum Kalii permanganici adjeceris, odor Olei Amygdalarum amararum aetherei oritur.

Solutio aquosa, addito Baryo nitrico, sedimentum in Acidis non solubile emittit.

Solutio aquosa (1 = 1000) saporis acris et amari; pupillam dilatare potest.

Atropinum sulfuricum in lamina platinea calefactum primo liquescat, deinde vapores albidos evolvat, postremo residuo fixo nullo remanente deflagret.

Solutio aquosa (1 = 250) ne Platino chlorato, neve Natrio bicarbonico, neve Liquore Ammonii caustici, neve Argento nitrico turbetur.

Atropinum sulfuricum in Acido sulfurico solutum liquorem coloris expertem praebeat, qui ne exiguo Acido nitrico quidem addito coloretur.

Cautissime servetur.

Balsamum Copaivae.

Copaifera officinalis *Linn.* et aliae **Copaiferae** species.

Balsamum limpidum e flavo subfuscum vel subflavum, odoris peculiariter aromatici, plerumque leviter fluorescens, saporis constanter acris et subamari, ponderis specifici 0,94 ad 0,99.

Balsamum in evaporando ne odorem Terebinthinae

emittat, refrigeratione facta, resinam faciliter fragilem relinquat; cum Spiritu absoluto commixtum limpidum sit vel paene limpidum.

Balsamum cum *volumine quadruplo* Benzini Petrolei commixtum limpidum sit vel leviter turbetur.

Gutta una Balsami in *guttis viginti* Carbonei sulfurati soluta et cum *gutta una* mixtionis e *partibus aequalibus* Acidi nitrici et Acidi sulfurici compositae et refrigeratae, conquassata, color subviolaceus ne oriatur.

○ Balsamum Peruvianum.

Toluifera Pereirae *Baill.*

Balsamum e fusco nigrum, spissitudinis sirupi, in stratis tenuioribus pellucidum et e rubro fuscum, odoris suavis aromatici, saporis subamari, peracris, cum *parte aequali* Spiritus limpide misceri potest, ponderis specifici 1,135 ad 1,150.

Balsami *guttis decem* cum Acidi sulfurici *guttis viginti* contritis, mixtio fiat, tenax, coloris subviolaceo rubri, quae Aqua eluta, residuum resinosum, frigore fragile relinquat.

Balsamum cum *pondere quintuplo* Benzini Petrolei vehementer conquassatum, ne sit ex majore parte solubile. A qua mixtione paulisper seposita discedit stratum Benzini Petrolei leviter subflavum. Idem in parva patina porcellanica exhalationi spontaneae dedito, residuum

tenuiter oleaceum, subflavum, odoris suavis, in Spiritu facile solubile remaneat, quod vel leniter calefactum non Terebinthinam, neque Styracem, neque Balsamum Copaivae, neque Balsamum Dipterocarpi redoleat.

Balsami *partes tres partem unam* Carbonei sulfurati ita absorbent, ut non turbentur, sed, *octo* aliis *partibus* ejus additis, resina e fusco nigra praecipitetur. Liquor limpidus inde effusus colorem dumtaxat leviter subfuscum trahat, idem nullo modo aut non magis quam leviter fluorescat.

Balsami *guttis quinque* cum *centimetris cubicis tribus* Liquoris Ammonii caustici vehementer conquassatis, ne spuma oriatur nisi exigua, mox dilabens, neve, ne viginti quattuor quidem horis circumactis, gelatina formetur.

Grammata duo Balsami cum *grammate uno* Calcariae hydratae in calore balnei aquae commixta, ne rigescant, neve odorem Olei pinguis evolvant.

Balsamum Tolutanum.

Toluifera Balsamum *Linn.*

Massa e subflavo fusca, plus minusve dura, odoris maxime suavis, aromatici, saporis aromatici mitis, in Spiritu, Chloroformio solubilis, in Carboneo sulfurato calido fere non solubilis.

Benzinum Petrolei.

Petrolei portiones in destillando calore 50 ad 65° transeuntes, limpidae, coloris expertes, volatiles, facile inflammabiles, non fluorescentes, odoris peculiaris non insuavis; in Aqua non solubiles, in *partibus* circiter *quinque* Spiritus solubiles, ponderis specifici circiter 0,67.

Benzinum Petrolei cum exigua Solutione Argenti nitrici ammoniacali et paulo Spiritus calefactum, ne coloretur.

Benzini Petrolei *partes duae*, si cum mixtione refrigeratae, quae, ex *parte una* Acidi sulfurici et *quattuor* Acidi nitrici fumantis composita est, conquassaveris, ne colorentur, neve odorem ducant Olei Amygdalarum amararum aetherei.

In vasis bene clausis, loco frigido, servetur.

Benzoë.

Styrax Benzoïn *Dryander.*

Granula conglutinata e flavo subfusca vel e subrubro flava, nitoris cerae similis, per fracturam albida; vel frusta e subrubro fusca, granula clariora concludentia, interdum foraminosa, uterque species odoris suavis.

Benzoë in *pondere quintuplici* Spiritus calefacta, fere perfecte solvatur; quae solutio cum Aqua commixta liquorem lacteum, reactionis acidae det. Liquor, quem e Benzoë coquendo cum Calcaria hydrata pultiformi tum filtrando paraveris, Solutione Kalii permanganici addita, ne odorem trahat Olei Amygdalarum amararum aetherei.

○ Bismutum subnitricum.

Pulvis albus, micro-crystallinus, ponderosus, reactionis acidae, et odoris et saporis plane vel paene expers, in aëre persistens.

Sal candefactum vapores aquae, deinde vapores e flavo rubros emittens Bismutum oxydatum coloris flavi relinquit.

Sal in *partibus quinquaginta* Acidi sulfurici diluti, Acidum carbonicum non emittens, limpide solvatur; qua solutione cum Liquore Ammonii caustici abunde commixta, liquor coloris expers, quem filtrando effeceris, addita Aqua hydrosulfurata, ne mutetur.

Solutio limpida Acidi nitrici ope parata et Aqua diluta, ne Argento nitrico, neve Baryo nitrico turbetur.

Sal, Liquore Natri caustici abunde addito, calefactum Ammonium ne emittat.

Gramma unum candefactum *grammata 0,76* ad *0,83* residui relinquat. Solutionis, ex eodem residuo *centimetrorum cubicorum* circiter *decem* Acidi hydrochlorici ope paratae, *dimidia pars* cum *centimetro cubico dimidio* Solutionis Stanni chlorati calefacta tantummodo perpaullum coloretur. Alia pars, Aqua diluta et Acido hydrothionico prorsus praecipitata, si filtraveris et evaporaveris nullum residuum, nisi exiguum relinquat.

Bolus alba.

Argilla pura.

Substantia albida, friabilis, colorem mittens, humectata subtenax, in Aqua non solubilis.

Acido hydrochlorico superfuso, ne effervescat, neve Aqua expurgata arenam relinquat.

Bromum.

Liquor intense e rubro fuscus, plane volatilis, vapores flavo rubros fortiter irritantes exhalans, in Spiritu, Aethere, Carbonco sulfurato, Chloroformio facile solubilis, ponderis specifici 2,9 ad 3,0.

Bromum Liquore Natri caustici colorem prorsus vel paene prorsus amittens solvatur; cum *partibus triginta* Aquae commixtum solutionem praebeat coloris e flavo rubri.

Cujus solutionis *centimetro cubico uno centimetris cubicis novem* Aquae diluto et cum *centimetris cubicis tribus* Liquoris Ammonii carbonici, *centimetris cubicis quinque* Liquoris Argenti nitrici decinormalis vehementer conquassato, liquor filtrando effectus, addito Acido nitrico nullo modo vel ita turbetur, ut pellucidus remaneat.

Solutio aquosa, quam cum Ferro pulverato abunde addito conquassaveris et filtraveris, liquorem praebeat, qui, et exiguo Ferro sesquichlorato et Chloroformio additis, huic quidem colorem violaceum non inducat.

Caute, in vasis epistomiis vitreis bene clausis, loco frigido, servetur.

Calcaria chlorata.

Pulvis albus vel albidus, odorem Chloro similem evolvens, in Aqua ex parte solubilis.

Acido acetico superfuso, Chlorum emittens fere perfecte solvitur, quae solutio filtrata Ammonio oxalico admixto sedimentum album praebet.

Calcariae chloratae *grammate dimidio* cum *centimetris cubicis* circiter *centum* Aquae contrito et cum *grammatis duobus* Kalii jodati, *guttis viginti* Acidi hydrochlorici commixto: *centimetris cubicis 28,5* Liquoris Natrii subsulfurosi decinormalis opus est, ut Jodum expulsum adnectatur, id quod non minus quam *viginti* Chlori efficacis in *partibus centum* respondet.

In vasis bene clausis, loco frigido, servetur.

○ Calcaria usta.

Massae albidae, densae, ardore persistentes, quae Aquae calidae circiter *dimidio pondere* superfusae hanc imbibunt, fortiter fervent et paullatim in pulverem album, reactionis alcalinae dilabuntur.

usta Calcaria chlorata cum Aquae *partibus* circiter *tribus* commixta pultem spissam, aequabilem praebeat, quae in Acido nitrico non nisi perpaullum effervescens fere plane solvatur.

In vasis bene clausis servetur.

Calcium carbonicum praecipitatum.

Pulvis pure albus, micro-crystallinus, in Aqua fere, in Spiritu plane insolubilis.

In Acido acetico effervescens limpide solvitur, quae solutio Ammonio oxalico addito sedimentum album efficit.

Solutio *centimetrorum cubicorum viginti* Acidi hydrochlorici diluti ope parata, Acido carbonico coquendo perfecte expulso, Baryo nitrico ne statim, neve Solutione Calcii sulfurici, neve Aqua hydrosulfurata turbetur. Eadem solutio cum Liquore Ammonii caustici abunde addito, cocta ne sedimentum efficiat neve Liquore Ammonii sulfurati addito colorem trahat, nisi viridem. Alia parte solutionis Liquore Ammonii caustici et Ammonio carbonico prorsus praecipitata, liquor filtrando paratus Natrio phosphorico addito ne turbetur.

Aqua cum sale conquassata tum filtrata, ne reactionem alcalinam praebeat et Acido nitrico et insuper Argento nitrico additis, tantummodo opalescat.

Calcium hypophosphorosum.

Pulvis albus, crystallinus vel crystalla lamellaria, pellucida, coloris expertia, in *partibus septem* Aquae solubilia, in Spiritu insolubilia.

Sal calefactum colorem e rutilo flavum trahit et Hydrogenium phosphoratum sponte inflammabile evolvit. Solutio aquosa cum Ammonio oxalico sedimentum album praebet in Acido acetico non solubile. Si in Liquore Hydrargyri bichlorati salis solutionem aquosam Acido hydrochlorico acidulatam in excessu adjeceris sedimentum efficiatur initio album, postea griseum.

Solutio aquosa (1 = 20) reactionem neutralem praebeat, cum Plumbo acetico ne sedimentum efficiat; cum Ammonio chlorato tum Ammonio carbonico commixta et filtrata liquorem det, qui Natrio phosphorico non turbetur.

In vasis bene clausis servetur.

Calcium phosphoricum praecipitatum.

Pulvis pure albus, subtilis, levis, in Aqua vix, in Spiritu plane non solubilis.

Calcium phosphoricum Liquore Argenti nitrici humectatum colorem flavum ducit, id quod non fit, si antea candefactum est. Solutio Acidi acetici ope parata, Ammonio oxalico addito, sedimentum album efficit.

Liquor a sedimento filtratione liberatus Liquore Ammonii caustici in excessu addito ne praecipitetur.

Calcium phosphoricum in Acido nitrico diluto non effervescens solvatur. Cum *partibus viginti* Aquae conquassatum, si filtraveris liquorem praebeat, qui Acido acetico acidulatus Baryo nitrico non statim turbetur; idem, Argento nitrico admixto tantummodo opalescat; Aqua hydrosulfurata ne mutetur.

Calcium sulfuricum ustum.

Gypsum ustum.

Pulvis albus, amorphus; cum *dimidio pondere* Aquae commixtus intra duodecimam horae partem durescat.

In vasis bene clausis servetur.

○ Camphora depurata.

Cinnamomum Camphora *Nees.*

Frusta crystallina, alba, semipellucida vel pulvis odoris peculiaris, saporis primo ustulantis, postremo refrigerantis, calore balnei aquae plane volatilia, calore circiter 175° liquescentia, calore 204° ebullientia.

Camphora incensa flamma lucida, fuliginosa deflagrat; in Aqua vix, in Spiritu, Aethere facile et nullum colorem ducens solvitur. Quamvis tenacia, Spiritu vel Aethere humectata in pulverem redigi potest.

Camphora monobromata.

Crystalla prismatica aculae similia vel lamellaria, coloris expertia, in aëre persistentia, odoris saporisque Camphorae similis, mitis, reactionis neutralis, calore circiter 75° liquescentia; in Aqua vix, in Spiritu, Aethere, Chloroformio, Acido sulfurico facile et nullum colorem ducentia solubilia.

Camphora monobromata in mixtione e *volumine uno* Acidi sulfurici diluti et *voluminibus quinque* Spiritus composita calore soluta, Zinco puro adjecto et Hydrogenio diutius emisso, cum Argento nitrico sedimentum e subflavo album efficit.

In lamina platinea candefacta ullum residuum ne relinquat. Solutio spirituosa cum Argento nitrico coctum ne praecipitetur.

Caute servetur.

Cantharides.

Epicauta Gorhami *Mars.*

Coleoptera nigra *millimetros quindecim* ad *duodeviginti* longa, *millimetros quattuor* ad *quinque* lata. Caput obtuse triquetrum, subcordatum, cujus posterior pars laterum instar rubra est. Elytrum obscure nigrum, in marginibus, mediaque parte striis ex pilorum subflavorum distinctum est. Superficies inferior nigra, nitida; abdomen

e segmentis constat, quae in marginibus quattuor ad quinque fasciis tenuibus pilorum subflavorum designata sunt.

Lyttam vesicatoriam Fabr. loco Epicautae Gorhami adhibere licet.

Caute, bene exsiccata, servetur.

Capsulae Copaivae.

Capsulae gelatinosae singulae *gramma dimidium* Balsami Copaivae continentes, ejus qualitatis quae sub Balsamo Copaivae descripta est.

Carbo Ossium pulveratus.

Carbonem Ossium venalem in pulverem redactum cum Acido hydrochlorico diluto crebro digere, Aqua ebulliente elue, quoad specimen combustum tantummodo perexiguum residuum relinquerit. Exsiccatus in vasis satis bene clausis fervefactus, adhuc calidus, in vasa bene claudenda transferatur.

Sit pulvis ater, cum Aqua coctus ne praebeat liquorem reactionis acidae. Carbone cum Acido hydrochlorico diluto cocto, si filtraveris liquor efficiatur, qui Aqua hydrosulfurata non mutetur.

Caryophylli.

Eugenia caryophyllata *Thunb.*

Flores non aperti, coloris fusci. Ovarium rotundo-tetragonum, *decem* ad *quindecim millimetros* longum, ad *quinque millimetros* latum, in quattuor sepala expanditur, super quae quattuor petala dilucidiora, in globum convergentia, multa stamina concludentia eminent.

Caryophylli odoris saporisque aromatici acris sint.

Si Caryophyllos per longitudinem dissectos chartae bibulae impresseris, huic maculam olei inducant.

In vasis bene clausis servetur.

Catechu.

Uncaria Gambir *Roxb.*, **Acacia Catechu** *Willd.*, **Acacia Suma** *Kurz.*

Extractum aquosum, siccum, ope microscopii contemplanti crystallinum esse videatur; saporis adstringentis subamari, postremo subdulcis.

In *partibus decem* Aquae ebullientis vel Spiritus fervidi ita solvatur, ut ex *partibus centum* non magis quam circiter *quindecim* remaneant. Quae solutio Liquore Ferri sesquichlorati addito colorem atro-virentem ducat.

Combustum cineris ne plus quam *sex* ex *partibus centum* relinquat.

Cera flava.

Apis mellifica *Linn.*

Massa flava, per fracturam granulosa, odorem paullum Melli similem praebens, ponderis specifici 0,955 ad 0,967, calore circiter 64° ad liquorem limpidum liquescens. Cera flava in Benzolo, Chloroformio calidis vel in *partibus* circiter *trecentis* Spiritus ebullientis ita solvatur, ut restet residuum exiguum. Qua solutione spirituosa refrigerata, puls crystallina alba efficiatur. Liquor, refrigeratione confecta, a pulte filtrando liberatus, Aqua ne turbetur, neve chartam exploratoriam caeruleam rubefaciat nisi perpaullum.

Grammate uno Cerae cum *centimetris cubicis quinquaginta* mixtionis e *voluminibus aequalibus* Aquae et Liquoris Natri caustici compositae, Aquam evaporatam supplens per semihoram cocto, liquor, quem refrigeratum filtrando effeceris, Acido hydrochlorico diluto ne praecipitetur.

Cerium oxalicum.

Pulvis albus, granulosus, in aëre persistens, in Aqua aut Spiritu non solubilis.

Solutio Acido hydrochlorico effecta Liquore Natri caustici addito sedimentum gelatinosum praebet in illius excessu insolubile. Liquor filtratus et Acido acetico saturatus, addito Calcio chlorato sedimentum album dat.

Cerium oxalicum in Acido hydrochlorico non effervescens solvatur, quae solutio ab sedimento gelatinoso, quod Liquore Natri caustici addito effeceris, filtrando liberata Ammonio chlorato in excessu admixto fervefacta ne sedimentum efficiat, neve, Liquore Ammonii sulfurati adjecto, item.

Leniter calefactum ex *partibus centum partes* circiter *quadraginta octo* pulveris neutralis coloris flavi vel subflavo rubri relinquat. Hoc residuum in Acido hydrochlorico solutum et Aqua dilutum (1 = 40) Aqua hydrosulfurata ne praecipitetur. Alia pars ejusdem solutionis, si Liquore Ammonii caustici saturaveris tum filtraveris, additis aut Ammonio oxalico, aut Natrio phosphorico sedimentum ne præbeat.

Caute servetur.

Cetaceum.

Physeter macrocephalus *Linn.*

aliaeque species **Physeteris.**

Massa alba crystallina latifoliata, nitoris margaritacei, ex cera in cavis capitum inclusa exprimendo et crystallisando depurata; calore circiter 50° ad liquorem limpidum, coloris expertem, odoris leviter peculiaris liquescens, ponderis specifici 0,94 ad 0,95; in Aethere, in *partibus quinquaginta* Spiritus ebullientis solubilia.

Grammate uno Cetacei cum *centimetris cubicis quinquaginta* mixtionis e *voluminibus aequalibus* Aquae et Liquoris Natri caustici compositae Aquam evaporatam supplens per semihoram cocto, liquor, quem plane refrigerando et filtrando effeceris Acido hydrochlorico diluto ne praecipitetur.

Charta nitrata.

Chartam bibulam

Kalii nitrici *parte una*.....**1,**

in

Aquae *partibus quinque*.....**5**

soluta, imbue, tum leni calore sicca.

Charta rubefaciens.

Cerae flavae *partes quadraginta octo*.....**48,**

Cetacei *partes duodeviginti*.....**18,**

Olei Olivarum *partes viginti quattuor*.....**24,**

Cantharidum pulveratarum *partes sex*.....**6,**

Terebinthinae *partes sex*.....**6,**

Aquae communis *partes sexaginta*.....**60**

misce, coque per horas duas perpetuo agitans, cola ope panni lanei non exprimens; massam colatam et in patina porcellanica calore balnei aquae liquefactam extende supra chartam aequabiliter.

Chininum ferro-citricum.

Ex

Chinini sulfurici *partibus tribus*.....**3,**

ope Acidi sulfurici diluti in

Aquae *partibus viginti quattuor*.....**24**

plane solutis. Liquore Ammonii caustici abunde addito Chininum praecipita. Hoc in filtro Aqua elue, quoad reactionem et Acidi sulfurici et Ammonii praebere desierit.

Quod Chininum solve in

Liquoris Ferri citrici oxydati *partibus triginta* **30**

calore 60° non excedente. Liquorem evaporando ad spissitudinem sirupi redactum et in laminis vitreis expansum leni calore sicca, quoad lamellae separari potuerint.

Lamellae tenues, pellucidae, nitidae, coloris e viridi flavi vel flavo fusci, aëre paullum humescentes, reactionis leviter acidae, saporis amari ferruginei, in Aqua lente, sed plane, in Spiritu paullum solubiles.

Solutio aquosa tum primum, si Acidum hydrochloricum admiscueris, cum Kalio ferrocyanato colorem caeruleum trahit; Liquore Ammonii caustici commixto sedimentum album praebet, in Aethere plane solubile. Quae solutio aetherea evaporata residuum relinquit, quod Aqua chlorata superfusum, Liquore Ammonii caustici instillato, colorem viridem ducit.

Solutio aquosa (1 = 5) cum Liquore Kali caustici abunde addito in coquendo ne Ammonium emittat. Liquor

filtratus Acido acetico acidulatus longiore quidem temporis spatio interjecto ne sedimentum crystallinum det. Solutio aquosa (1 = 20) Baryo nitrico ne turbetur nisi paullum.

Chininum ferro-citricum candefactum residuum efficiat, quod reactionem non alcalinam praebeat.

Grammata duo cum *grammate dimidio* Acidi citrici, *centimetris cubicis viginti* Aquae calore soluta, quam solutionem in infundibulum separatorium immitte, deinde additis Liquore Natri caustici et *centimetris cubicis viginti* Aetheris vehementer conquassa, liquorem aethereum limpidum superstantem in calicem antea pensatum transmitte, liquorem aquosam etiam bis *centimetris cubicis denis* Aetheris additis conquassa. Aethere sic effecto destillando remoto, residuum calore 100° siccatum ponderis circiter *grammatum 0,25* sit, id quod in *partibus centum 12,5* Chinini anhydrici respondet.

In vasis bene clausis, a luce remotum, servetur.

○ Chininum hydrochloricum.

Acus crystallinae, albae, nitidae, in aëre persistentes, saporis peramari, reactionis neutralis vel levissime alcalinae, in *partibus triginta quattuor* Aquae, *tribus* Spiritus, *novem* Chloroformii solubiles. Solutio aquosa, Acido sulfurico diluto addito, colore caeruleo fluorescit.

Solutio aquosa cum Aqua chlorata commixta, Liquore Ammonii caustici instillato, colorem viridem trahit. In

salis solutione Argentum nitricum sedimentum album efficit in Acido nitrico diluto non solubile.

Chininum hydrochloricum in lamina platinea candefactum nullo residuo deflagret; in Acido sulfurico solutum ne coloretur nisi perpaullum; in Acido nitrico solutum ne rubefaciatur; cum Calcaria hydrata pultiformi coctum ne Ammonium emittat. Solutio aquosa (1 = 100) Acido sulfurico diluto non turbetur; Baryo nitrico addito tantummodo opalescat.

Grammatis duobus in Aquae *centimetris cubicis viginti* calore solutis *gramma unum* Natrii sulfurici pulverati adde; deinde pultem ita effectam in balneo aquae agitans brevi tempore ferveface et per horam unam calore 15° sepone. *Centimetris cubicis quinque* liquoris, quem filtrando effeceris cum *centimetris cubicis septem et dimidio* Liquoris Ammonii caustici leviter conquassatis sedimentum effectum prorsus resolvatur.

Chininum hydrochloricum calore 100° siccatum ponderis ne plus quam *novem* ex *partibus centum* amittat.

Chininum sulfuricum.

Acus crystallinae, albae, flexibiles, nitoris sericei, in aëre fatiscentes, odoris expertes, saporis peramari, reactionis neutralis vel leviter alcalinae, in *partibus* circiter *octingentis* Aquae frigidae, in *triginta* Aquae ebullientis, in

partibus circiter *sexaginta* Spiritus solubiles. Solutio aquosa Acido sulfurico diluto addito colore caeruleo fluorescit.

Solutio aquosa cum Aqua chlorata commixta, Liquore Ammonii caustici instillato colorem viridem trahit. In salis solutione Baryum nitricum sedimentum album efficit, in Acidis non solubile.

Chininum sulfuricum in lamina platinea candefactum nullo residuo deflagret; in Acido sulfurico solutum ne coloretur nisi perpaullum; in Acido nitrico solutum ne rubefaciatur; in coquendo cum Calcaria hydrata pultiformi ne Ammonium emittat. Solutio aquosa frigide saturata et Acido nitrico diluto acidulata Argento nitrico ne turbetur.

Gramma unum salis cum *centimetris cubicis septem* mixtionis, e *voluminibus duobus* Chloroformii, *volumine uno* Spiritus absoluti compositae, leniter fervefactum limpide solvatur, quae solutio refrigeratione facta ne turbetur.

Grammata duo in *centimetris cubicis viginti* Aquae perpetuo agitando calore circiter 60° solve, deinde per horam unam calore 15° sepone et filtra. *Centimetris cubicis quinque* liquoris filtrati cum *centimetris cubicis septem et dimidio* Liquoris Ammonii caustici leviter conquassatis sedimentum effectum prorsus resolvatur.

Chininum sulfuricum calore 100° siccatum ponderis ne plus quam *sedecim* ex *partibus centum* amittat.

Chinoidinum.

Massa resinacea, coloris fusci vel e nigro fusci, nitida, facile fragilis, saporis amari, reactionis alcalinae, in Aqua parum, in Spiritu, in Chloroformio facile solubilis.

Chinoidinum in Aqua Acido sulfurico acidulata solutum colore caeruleo fluorescit; quae solutio cum Aqua chlorata commixta, Liquore Ammonii caustici instillato, colorem viridem trahit.

Chinoidinum in *partibus decem* Acidi acetici diluti exiguo residuo remanente solvatur. Cum *partibus decem* Spiritus diluti solutionem limpidam efficiat. Combustum residui ne plus quam *unum* ex *partibus centum* relinquat.

○ Chloralum hydratum.

Crystalla sicca, coloris expertia, pellucida, odoris pungentis, saporis caustici, subamari, facile solubilia in Aqua, Spiritu, Aethere, difficilius in Oleis sebacicis, Carboneo sulfurato; calore circiter 58° liquescentia.

Chlorato hydrato cum Liquore Natri caustici calefacto, liquor turbidus efficitur, qui, Chloroformio secedente, fit limpidus.

Fervefactum nullo residuo remanente avolet, gasa inflammabilia non emittens. Solutio spirituosa (1 = 10) chartam exploratoriam caeruleam vix rubefaciat; Acido nitrico diluto acidulata, Argento nitrico addito tantummodo opalescat.

Chloralum hydratum cum *parte aequali* Acidi sulfurici calefactum liquorem efficiat coloris expertem.

Caute, in vasis bene clausis, servetur.

○ Chloroformium.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris peculiaris, saporis subdulcis, calore circiter 61° ebulliens, in Aqua, Glycerino perpaullum, in Spiritu, Aethere, Acido acetico glaciali, Oleis sebacicis facile solubilis, ponderis specifici 1,485 ad 1,5.

Solutionem spirituosam si cum Liquore Kali caustici, addito exiguo Anilino, concalefeceris, odor penetrans et insuavis oritur.

Chloroformio cum *volumine aequali* Acidi sulfurici in tubo sicco, epistomio vitreo clauso, crebro conquassato, deinde per aliquot horas seposito, hoc ne coloretur.

Ab odore Phosgenii sit liberum.

Chloroformium exhalationi spontaneae permissum plane avolet, non odore alieno remanente, vel tantummodo perpaullum residuum relinquat. Cum *volumine dimidio* Aquae conquassato, haec chartam exploratoriam caeruleam ne rubefaciat, neve Argento nitrico mutetur, neve solutione Kalii jodati coloretur.

Caute, in vasis bene clausis, a luce remotum, servetur.

Chrysarobinum.

Andira Araroba *Aguiar.*

Pulvis crystallinus, coloris pallens aurantiaci, et odoris et saporis expers, in Aqua vix, in Spiritu paullum, in Benzolo ebulliente facile solubilis, calore circiter 162° liquescens.

Solutio Liquoris Alkali ope parata colorem e flavo rubrum ducit, qui in aëre obscurior fit. In Acido sulfurico solutum liquorem coloris flavo rubri praebet.

Chrysarobinum ad cinerem redactum ne residuum relinquat, nisi perpaullum.

Cinchoninum hydrochloricum.

Acus crystallinae, coloris expertes, in aëre persistentes, saporis peramari, reactionis neutralis vel leviter alcalinae, in *partibus viginti quinque* Aquae, in 1,3 Spiritus, in circiter *viginti duabus* Chloroformii, in *ducentis septuaginta quinque* Aetheris solubiles.

Solutio aquosa addito Liquore Ammonii caustici sedimentum album efficit, in Aethere vel in Liquore Ammonii caustici difficile solubile; cum Argento nitrico commixtum sedimentum album dat, in Acido nitrico diluto non solubile.

Cinchoninum hydrochloricum in lamina platinea candefactum nullo residuo remanente deflagret. In Acido

sulfurico vel Acido nitrico solutum ne coloretur nisi perpaullum. Cum Calcaria hydrata pultiformi fervefactum ne Ammonium emittat.

Solutio aquosa (1 = 50) Acido sulfurico diluto ne turbetur vel tantummodo opalescat; Natrio-Kalio tartarico admixto ne praecipitetur. Eadem solutio Acido nitrico diluto acidulata, Baryo nitrico addito, tantummodo opalescat.

Calore 100° siccatum, ponderis ne plus quam *decem* ex *partibus centum* amittat.

○ Cocaïnum hydrochloricum.

Crystalla prismatica, alba, odoris expertia vel pulvis crystallinus, reactionis neutralis, saporis subamari, in lingua posita indolentiam efficientia, in *partibus* circiter *0,5* Aquae, in *partibus duabus* Spiritus solubilia.

Cocaïni hydrochlorici *exigua parte* in Acido sulfurico soluta et in balneo aquae per sextantem horae calefacta, si paullum Aquae addideris et refrigeraveris, ex liquore crystalla Acidi benzoïci se secernunt. Solutio aquosa Argento nitrico addito sedimentum album efficit, in Acido nitrico diluto non solubile.

In lamina platinea candefactum, nullo residuo remanente deflagret; in Acido sulfurico solutum ne coloretur.

Solutio aquosa (1 = 20) Baryo nitrico admixto tantummodo opalescat; Liquore Natri caustici adjecto sedi-

mentum crystallinum, album det, ne vapores ammoniacales emittens.

Caute servetur.

Codeïnum.

Crystalla octaëdrica, coloris expertia vel alba, saporis amari, calore fatiscentia, cum Aquae *partibus octoginta* solutionem reactionis alcalinae efficientia, in *partibus octoginta* Liquoris Ammonii caustici, paullum in Liquore Kali caustici, in Spiritu, Chloroformio, Aethere, Aqua acidulata facile solubilia. Crystalla cum Aqua cocta, antequam solvuntur, liquescunt.

Codeïnum in Acido sulfurico solutum, admixto exiguo Liquore Ferri sesquichlorati diluto, si leniter calefeceris, colorem intense caeruleum trahit.

In lamina platinea candefactum nullo residuo remanente deflagret.

In Acido sulfurico solutum ne coloretur.

Caute servetur.

Coffeïnum.

Acus albae, flexibiles, nitoris sericei, saporis subamari, in aëre fatiscentes, cum *partibus* circiter *octoginta* Aquae frigidae, *partibus duabus* ebullientis solutionem reactionis

neutralis efficientes, in *partibus* circiter *quinquaginta* Spiritus, in *novem* Chloroformii, parum in Aethere solubiles.

Coffeïno in Aqua chlorata soluto et in balneo aquae evaporato, residuum e flavo rubrum remanet, quod, si pauxillum Liquoris Ammonii caustici admiscueris, in colorem belle purpureum transit.

In lamina platinea candefactum nullo residuo remanente avolet. In Acidis sulfurico vel nitrico solutum ne coloretur. Solutio aquosa Acido tannico adjecto sedimentum efficiat, quod in Acido abunde addito resolvatur; reagente Mayeri admixto ne praecipitetur.

Coffeïnum calore 100° siccatum ponderis ne plus quam *novem* ex *partibus centum* amittat.

Caute servetur.

Colla piscium.

Ichthyocolla.

Membranae subcorneae aut in lamellis aut in striis coloris albidi, tenaces, semidiaphanae, et odoris et saporis expertes, secundum fibras friabiles; in Aqua intumescentes, in Aqua aut Spiritu diluto ebullientibus fere plane solubiles.

Solutio, *partibus triginta* Aquae ebullientis effecta, post refrigerationem gelatinam fere limpidam, coloris expertem praebeat.

Collodium.

Liquor, ex lana Collodii in mixtione Aetheris cum Spiritu solvendo paratus, fere limpidus, coloris expers, neutralis, spissitudinis sirupi.

Collodium in strata tenuia dilatatum, si exhalationi spontaneae seposueris, cuticulam coloris expertem, tenacem relinquat.

Collodio evaporato ex *partibus centum partes* circiter *tres* residui remaneant.

In vasis bene clausis, loco frigido, servetur.

Collodium elasticum.

Collodii *partes triginta*.....30
Olei Ricini *partem unam*.....1
agitando misce.

In vasis bene clausis, loco frigido, servetur.

Collodium epispasticum.

Cantharidum grosso modo pulveratarum *partes duas*.....2
Aetheris *partibus tribus*.....3
per triduum conquassando macera, tum filtra et residuum tanto Aetheris elue, ut liquor filtratus sit
Partium duarum.....2

Cui liquori misce

Collodii *partes duas*.....2.

Caute in vasis bene clausis, loco frigido, servetur.

Cortex Cascarillae.

Croton Eluteria *Bennett.*

Tubi vel semitubi corticis, plerumque minus quam *centimetros decem* longi, *centimetrum unum* lati, *millimetros duos* crassi. Partim subere clare griseo tecti sunt, subtiliter longestriati et transverse rimosi; superficies interior subfusca aequabiliter et subtiliter granulata est; fractura clivosa, nitoris oleosi, intrinsecus subtilissime radiata. Cortex Cascarillae est odoris vehementer aromatici, saporis aromatici et amari.

○ Cortex Chinae.

Cinchona succirubra *Pavon* et aliae **Cinchonae** species.

Tubi, semitubi vel frusta plana, per fracturam fibrosa. Microscopii ope in sectione transversa libri fibrae, Cinchonas insignientes videntur.

Pulvere Corticis Chinae in tubulo vitreo candefacto, pix liquida belle coccinea oritur.

Cortex Chinae ratione infra descripta examinatus, non minus quam *partes quattuor* substantiarum alcaloidearum ex *partibus centum* contineat.

Grammata quindecim Corticis pulverati cum *grammatis viginti* Calcariae hydratae et *centimetris cubicis ducentis viginti quinque* Spiritus in lagena vitrea pensa, in balneo aquae per horas duas ita coque ut quam minimum Spiritus avolet; mixtionem refrigeratam, Spiritu exhalatione amisso suppleto, filtra. Liquoris filtrati *centimetris cubicis centum quinquaginta* in balneo aquae evaporatis, residuum cum *centimetris cubicis decem* Liquoris Acidi normalis calore bene commixtum et *centimetris cubicis decem* Aquae dilutum ope filtri parvi in infundibulum separatorium filtra, tum exigua Aqua saepius elue. Liquorem filtratum in infundibulo separatorio Liquore Natri caustici in excessu addito ter Aetheris *centimetris cubicis quinquagenis* deinceps conquassa. Aetherem superstantem in lagenam vitream parvam antea pensam decantha et destillando remove.

Residuum, quod substantias alcaloideas praebet, calore 100° prorsus siccatum ne sit ponderis minoris quam *grammatum 0,4*.

Alcaloideis sic effectis in Aqua Acido sulfurico diluto acidulata solutis, si Aquam chloratam addideris et Liquorem Ammonii caustici instillaveris, color viridis oriatur.

Cortex Cinnamomi.

Cinnamomum Cassia *Blume.*

Ramorum vel recentiorum truncorum Cortex. Tubi vel semitubi, *millimetros quinque* ad *triginta* lati, *millimetros tres* crassi; intrinsecus fusci, extrinsecus e rubro fusci, per longitudinem venosi vel partim subere e griseo fusco tecti sunt; per fracturam fere plani, non fibrosi. Cortex Cinnamomi est odoris peculiaris, suavis, saporis intense aromatici, subdulcis, paullum mucilaginosi.

Cortex Fructus Aurantii.

Citrus Bigaradia *Duham.*

Cortices siccati fructuum maturorum, extrinsecus subfusci, glandulosi, intrinsecus albi, spongiosi; saporis aromatici, amari.

Ad usum partes interiores albae spongiosae resecandae sunt.

Cortex Radicis Granati.

Punica Granatum *Linn.*

Cortex ex semitubis vel frustis canaliculatis saepe recurvatis, ad *millimetros duos* crassis, constat.

Superficies exterior subere e flavo viridi vel e griseo

fusco tegitur et desquamationes alveolatas praebet, nec lichenibus consita est; superficies interior levis, coloris flavo fusci est; saporis ingrati, adstringentis, subamari.

Cortex recenter siccatus praeferendus sit.

Crocus.

Crocus sativus *Linn.*

Stigmata coloris saturati ex aurantiaco rubri, in Aqua mollita tubos *centimetros* circiter *tres* longos, superiore margine ampliatos, dentatos, altera parte scissos esse apparent. Crocus est odoris intense aromatici, saporis aromatici subamari. Styli coloris e flavo pallentis, quam paucissimi adsint. Croco Aqua mollito ne corpora aliena inveniantur.

Croci *gramma 0,01 centimetris cubicis tribus* Acidi sulfurici superfusum, colorem belle caeruleum brevi persistentem trahat.

Solutio aquosa (1 = 10) sit coloris e flavo rubri, nec saporis dulcis. Cujus solutionis *una parte decem milibus partium* Aquae diluta, color flavus ne evanescat.

Crocus calore 100° siccatus ne plus quam *quindecim* ex *partibus centum* amittat; combustus cineris ne plus relinquat quam ex *centum partibus octo.*

A luce remotus servetur.

○ Cuprum sulfuricum.

Crystalla diaphana, caerulea, clinorhomboidea, in aëre sicco lente fatiscentia, in *partibus tribus et dimidia* Aquae frigidae, in *parte una* Aquae ebullientis solubilia, in Spiritu non solubilia.

Solutio aquosa, addito Baryo nitrico sedimentum album praebet, in Acidis non solubile; Liquore Ammonii caustici abunde addito liquor limpidus, intense caeruleus efficitur.

Solutio aquosa Acido hydrochlorico acidulata, Acido hydrothionico ad saturationem admixto, sedimentum nigrum praebeat. Liquor, quem filtrando effeceris, evaporatus residuum ne relinquat nisi exiguum.

Caute servetur.

Cuprum sulfuricum aluminatum.

Lapis divinus.

Cupri sulfurici.....10

Kalii nitrici.....10

Aluminis, singulorum *partes decem*.....10

Pulveratae misceantur et in patina porcellanica calore balnei arenariae liquefaciantur

Quibus adde

Camphorae depuratae contritae *partem unam* .....1.

Effunde massam liquidam in vas porcellanicum vel in formam bacillorum.

Massa ex albo caerulea, sicca vel bacilli Camphoram redolentes, in *partibus sedecim* Aquae exiguo residuo remanente solubiles.

Caute, in vasis bene clausis, servetur.

Decocta.

Ad Decoctum parandum substantiam grosso modo, aequabiliter pulveratam Aqua superfusam, per semihoram in balneo aquae interdum agitando coque, tum liquorem adhuc calentem exprime.

Decocta, ad quae efficienda quantum substantiae adhibeatur praescriptum non est, ita para, ut *partes decem* colaturae ex *parte una* substantiae efficias.

Medicamentorum fortiorum quantum adhibeatur a medico est indicandum. Medicamentorum maxime pituitosorum quantum adhibeatur a pharmacopoeo destinandum est.

Elaeosacchara.

Olei aetherei praescripti *guttam unam*.....1
Sacchari *grammatis duobus*.....2
misce.

Ne paretur, nisi praescriptum erit.

Electuarium Sennae compositum.

Pulpae Tamarindorum *partes decem*.....**10**
Aquae *partibus quadraginta*.....**40**
superfusas calore per horas circiter duas agita, quoad pulpa aequabilis facta erit, tum ope cribri in patinam antea pensam cola.
Colaturae adde
Extracti Liquiritiae *partem unam*.....**1,**
Sacchari *partes quinquaginta quinque*.....**55,**
Aquae *partes triginta quinque*.....**35**
Extracto Liquiritiae et Saccharo calore balnei aquae perfecte solutis
Foliorum Sennae pulveratorum *partes septem*...**7,**
Corticis Fructus Aurantii pulverati *partes tres*.....**3,**
Fructus Foeniculi pulverati *partem unam*.....**1,**
Sulfuris praecipitati *partes triginta quinque*...**35,**
Kalii bitartarici pulverati *partes decem*.....**10**
inter se bene commixtas admisce, tum in balneo aquae agitando evapora, quoad mixturae *partes centum triginta quinque* remanserint.
Quibus adice
Sirupi Aurantii Corticis *partes triginta quinque*.....**35**
et
Sacchari tosti intense fusci *quantum satis,*
ut fiat Electuarium aequabile, subfuscum.

Loco sicco et frigido servetur.

Emplastra.

Ad Emplastrum parandum, si non alia ratio praescripta est, primo substantiam difficilius liquescentem liqueface, deinde facilius liquescentem admisce. In massam adhuc liquentem medicamenta bene misce, donec massa aequabilis facta erit; huic da formam convenientem.

Emplastra vaginis foliaribus, quas offert Phyllostachys nigra Munro, vel chartis pergamenis involvenda; ea, quae medicamenta volatilia continent, praeterea in pyxidibus ferreis, loco sicco et frigido, servanda sunt.

○ Emplastrum adhaesivum Anglicum.

Colla piscium *partes decem*.....**10**
solve in
Aquae fervidae
quantitate sufficiente, ut sint colaturae *partes centum viginti*.....**120.**
Cujus solutionis *partes sexaginta* ope penicilli supra telam sericeam albam expansam saepius induce et quotiescumque sicca.
Partes sexaginta reliquae illius solutionis Collae piscium paullatim cum
Spiritus *partibus quadraginta*.....**40,**
Glycerino *parte una*.....**1**

misce, qua mixtura telam iterum eodem modo illine.

Postremo telae dorsum Tinctura Benzoës inducatur et bene siccatur.

Emplastrum sit splendens, humefactum cuti bene adhaerens.

Loco sicco servetur.

Emplastrum Lithargyri.

Olei Olivarum,
Adipis suilli,
Plumbi oxydati subtiliter pulverati

singulorum *partes aequales* moderato igne, Aqua fervida subinde instillata, continenter agitando coque, donec fiat Emplastrum, deinde in bacillos convolve.

Emplastrum albidum, tenax, non unguinosum, Plumbi oxydati liberi nihil continens.

○ Emplastrum Resinae.

Emplastri Lithargyri *partes octoginta*.....**80,**
Resinae Pini *partes quattuordecim* **14,**
Cerae flavae *partes sex*.....**6**

Emplastro Lithargyri et Cera flava liquefactis Resinam Pini adde.

Emplastrum subflavum.

Emplastrum Scopoliae.

Emplastri Resinae *partibus nonaginta*.....**90**
in balneo aquae liquefactis
Extracti Scopoliae *partes decem*.....**10**
caute bene misce.
Emplastrum fuscum.

Extracta.

Substantiae ad Extracta paranda destinatae minutim et aequabiliter concidantur vel contundantur. Maceratio fiat saepius agitando.

Liquores aquosi statim in balneo aquae ad *tertiam partem voluminis* evaporentur, tum loco frigido sepositi colentur; denuo in balneo aquae continenter agitando ad Extracta ejus qua opus est spissitudinis evaporentur.

Liquores spirituosi et aetherei decanthentur et filtrentur, parte majore Spiritus vel Aetheris destillatione remota, partes reliquae in balneo aquae ratione supra dicta evaporentur.

Ad liquores aethereos evaporandos calor 50° non superans adhibeatur.

Extracta sint et odoris et saporis earum plantarum, ex quibus parata sunt; neque compositiones chemicales metallorum graviorum contineant.

Extracta, quod ad spissitudinem attinet, in tres distinguuntur:

1. **tenuia,** quae sunt densitate mellis recentis,
2. **spissa,** quae refrigerata non effundi, sed ope spathulae in fila distrahi possunt,
3. **sicca,** quae conteri possunt.

Haec ita parentur, ut Extracta in vasis porcellanicis evaporentur, dum massa tenax et, si refrixerit, friabilis facta erit. Quam adhuc calentem, ope spathulae e vase exemptam et in taenias extenuatam calore 40 ad 50° in lamina vitrea sicca.

Extracta sicca in pulverem conterantur et in vasis antea calefactis serventur.

Extracta spissa narcotica cum Pulvere Liquiritiae modo infra praescripto commixta et siccata habere licet.

Extracti narcotici *partes quattuor*.....4
cum
Radicis Liquiritiae pulveratae, calore 60° siccatae, *partibus tribus* 3
in calefacta patina porcellanica mixtas calore circiter 40° sicca, quoad ponderis jam nihil amittant.

Massae siccae, prius quam refrixerit, contritae quantum satis Radicis Liquiritiae pulveratae admisce, ut fiant *partes octo.*

Extracta ita parata in vasis antea calefactis serventur.

Extractorum narcoticorum siccatorum *copia duplo* major, quantum quae Extractorum spissorum praescripta fuerit, dispensanda est.

Extracta in vasis vitreis vel porcellanicis bene clausis, loco frigido et sicco serventur.

Extractum Aloës.

Aloës *partem unam*.....1

solve in

Aquae ebullientis *partibus quinque*.....5.

Solutione per biduum seposita liquorem limpidum superstantem decantha et evaporando ad Extractum **siccum** redige.

Extractum e flavo fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Cannabis Indicae.

Herbae Cannabis Indicae grosso modo pulveratae *partem unam*.....1

Spiritus *partibus quinque*.....5

per dies sex macera.

Quibus expressis, id, quod restiterit,

Spiritus *partibus quinque*.....5

per triduum iterum macera.

Liquores exprimendo effectos evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Extractum e nigro viride, in Spiritu limpide, in Aqua non solubile.

Caute servetur.

Extractum Cascarillae.

Corticis Cascarillae grosso modo pulverati *partem unam*.....**1,**

Aquae ebullientis *partibus quinque*.....**5**

superfusam per horas viginti quattuor sepone. Quibus expressis, id, quod restiterit,

Aquae ebullientis *partibus quinque*.....**5**

superfusum per horas viginti quattuor iterum sepone.

Liquores exprimendo effectos decantha et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Extractum perfuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Chinae.

Corticis Chinae grosso modo pulverati *partem unam*.....**1,**

Spiritus diluti *partibus quinque*.....**5**

superfusam per dies sex macera. Quibus expressis, id, quod restiterit,

Spiritus diluti *partibus quinque* **5**

superfusum per triduum iterum macera.

Liquores exprimendo effectos misce et evaporando ad Extractum **siccum** redige.

Extractum e rubro fuscum, in Spiritu diluto solubile.

Extracti *grammata tria* cum *centimetris cubicis* circiter *triginta* Aquae Acido sulfurico diluto acidulatae calore

bene commisce et sepone, tum tantum Aquae adde, ut liquor filtratus sit *centimetrorum cubicorum quinquaginta*. Cujus liquoris *centimetros cubicos viginti quinque* in infundibulum separatorium immitte, Liquore Natri caustici abunde addito, ter cum Aetheris *centimetris cubicis vicenis quinis* deinceps conquassa. Liquorem aethereum superstantem in calycem vitreum antea pensam transmitte, tum destillando remove. Residuum calore 100° plane siccatum, quod substantias alcaloideas praebet, sit ponderis non minoris quam *grammatum 0,18*.

Hae substantiae alcaloideae ratione sub Cortice Chinae descripta examinentur.

Extractum Colocynthidis.

Fructuum Colocynthidis a seminibus liberatorum, grosso modo concisorum *partes duas*...2
cum mixtione ex
Spiritus *partibus decem*.....10,
Aquae communis *partibus quinque*.....5
composita, macera per dies sex. Quibus expressis, id, quod restiterit, additis
Spiritus *partibus quattuor*.....4
et
Aquae communis *partibus sex*.....6
inter se commixtis, per triduum iterum macera.

Liquores exprimendo effectos evaporando ad Extractum

siccum redige.

Extractum e flavo fuscum, in Aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Colombo.

Radicis Colombo grosso modo pulveratae *partem unam* **1**

additis

Spiritus **2**

et

Aquae communis, singulorum *partibus duabus*..**2,**

inter se commixtis, macera per triduum. Quibus expressis, id, quod restiterit, additis

Spiritus.....**1**

et

Aquae communis, singulorum *parte una*.....**1,**

inter se commixtis, macera per biduum.

Liquores exprimendo effectos misce et evaporando ad Extractum **siccum** redige.

Extractum fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Coptidis.

E **Radice Coptidis grosso modo pulverata** paretur ut Extractum Colombo.

Extractum fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Ferri pomatum.

Pomorum acidorum *partes quinquaginta*.....**50**
in pultem contritas exprime; quibus admisce
Ferri pulverati *partem unam*.....**1**

Quam mixturam in bâlneo aquae caleface, dum evolutionis gasi finis factus erit.

Liquorem, Aqua communis ad *partes quinquaginta* dilutum, in complures dies sepone, tum filtra et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Extractum e subviridi nigrum, in Aqua limpide solubile.

○ Extractum Filicis.

Radicis Filicis recenter siccatae et pulveratae
partem unam.....,**1,**
Aetheris *partibus tribus*.....**3**
superfusam in vase bene clauso, per triduum macera.
Liquore superstante decanthato,id, quod restiterit,
Aetheris *partibus duabus*.....**2**
per triduum iterum macera et exprime.

Liquores mixtos filtra et destillando tum evaporando omnem Aetherem remove ut Extractum **tenue** fiat.

Extractum subviride, in Aethere limpide solubile, in Aqua non solubile.

○ Extractum Gentianae.

Radicis Gentianae concisae *partem unam*.....**1**
Aquae communis *partibus quinque*.....**5**
superfusam, macera per horas quadraginta octo.
Quibus expressis, id, quod restiterit,
Aquae communis *partibus quinque*.....**5**
per horas duodecim iterum macera.

Liquores exprimendo effectos misce, coque, decantha, evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Extractum fuscum, in Aqua limpide solubile.

○ Extractum Hyoscyami.

Herbae Hyoscyami concisae *partem unam*.....**1,**
additis
Spiritus.....**2**
et
Aquae communis, singulorum *partibus duabus*...**2**
inter se commixtis per triduum macera.
Quibus expressis, id, quod restiterit additis
Spiritus.....**1**
et
Aquae communis, singulorum *parte una*.....**1**
inter se commixtis per biduum macera et exprime.

Liquores mixtos filtra et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Extractum e viridi fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extracti *gramma unum* in *centimetris cubicis quadraginta* mixtionis e *partibus aequalibus* Aquae et Spiritus compositae fere limpide solvatur.

Extracti *grammatis decem* cum *centimetris cubicis centum* Aquae Acido sulfurico diluto acidulatae per horam unam maceratis, liquoris filtratione effecti *centimetros cubicos quinquaginta* in infundibulo separatorio Kalio carbonico in excessu addito ter cum Chloroformii *centimetris cubicis tricenis* deinceps conquassa. Chloroformium limpidum in infundibulum separatorium alterum immitte et bis cum *centimetris cubicis quinis* Aquae Acido sulfurico diluto acidulatae deinceps conquassa.

Solutionibus aquosis ita effectis cum mixtione e *volumine aequali* Aquae et reagentis Mayeri composita vehementer conquassatis, liquor, quem filtrando effeceris, etiam *nonnullis guttis* reagentis Mayeri praecipitetur vel turbetur.

Caute servetur.

Extractum Liquiritiae.

E **Radice Liquiritiae concisa** paretur ut Extractum Gentianae.

Extractum fuscum, in Aqua limpide solubile.

Extractum Opii.

Opii pulverati *partem unam*.....**1,**
Aquae *partibus quattuor*.....**4**
superfusam per horas viginti quattuor macera.
Quibus expressis, id, quod restiterit,
Aquae *partibus tribus*.....**3**
iterum eadem ratione tracta.

Liquores exprimendo effectos misce et filtratos evaporando ad Extractum **siccum** redige.

Extractum e rubro fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extracti *grammata 4,8* cum *grammatis tribus et dimidio* Calcariae hydratae et *centimetris cubicis octoginta* Aquae in vase vitreo bene clauso saepius vehementer conquassando macera per horas duas. *Centimetri cubici quinquaginta* liquoris filtrando effecti, si ratione sub Opio descripta examinaveris, Morphini *grammata 0,4* ad *0,48* praebeant. Cujus Morphini examinatio fiat ut sub Opio descripta est.

Caute servetur.

Extractum Physostigmatis.

Fabae Calabaricae grosso modo pulveratae *partes decem*.....**10**
Spiritus *partibus viginti quattuor*.....**24**
et
Aquae communis *partibus sedecim*.....**16**

inter se mixtis, digere per triduum.

Quibus expressis, id, quod restiterit,

Spiritus *partibus viginti quattuor* **24**

et

Aquae communis *partibus sedecim*.....**16**

inter se mixtis, iterum per horas viginti quattuor digere.

Liquores exprimendo effectos misce et filtra, tum evaporando ad *tertiam voluminis partem* redactos loco frigido sepone; postquam subsederint iterum filtra et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Extractum fuscum, in Aqua turbide solubile.

Cautissime servetur.

Extractum Rhei.

Radicis Rhei concisae *partes duas*.....**2**

Spiritus *partibus quattuor*.....**4**

et

Aquae communis *partibus sex*.....**6**

inter se mixtis macera per horas viginti quattuor.

Quibus expressis, id, quod restiterit,

Spiritus *partibus duabus*.....**2**

et

Aquae communis *partibus tribus*.....**3**

inter se mixtis iterum macera per horas viginti quattuor.

Liquores exprimendo effectos misce et filtratos evaporando ad Extractum **siccum** redige.

Extractum e flavo fuscum, in Aqua turbide solubile.

○ Extractum Scopoliae.

E **Herba Scopoliae concisa** vel **Radice grosso modo pulverata** paretur ut Extractum Hyoscyami.

Si Extractum e Radice Scopoliae pares Spiritum dilutum loco Spiritus adhibe.

Extractum fuscum, in Aqua parum turbide solubile.

Extractum in *partibus* Aquae *centum* solutum et filtratum praebet liquorem, qui pupillam dilatare potest.

Extracti *grammata quinque centimetris cubicis quinquaginta* Aquae Acido sulfurico diluto acidulatae per horam unam macera et liquoris filtratione effecti *centimetros cubicos viginti quinque* in infundibulo separatorio Kalio carbonico in excessu addito ter cum Chloroformii *centimetris cubicis tricenis* deinceps conquassa. Chloroformium limpidum in infundibulum separatorium alterum immitte et bis cum *centimetris cubicis quinis* Aquae Acido sulfurico diluto acidulatae deinceps conquassa.

Solutionibus aquosis mixtis cum *centimetris cubicis uno et dimidio* reagentis Mayeri vehementer conquassatis, liquor, quem filtrando effeceris, etiam *nonnullis guttis* reagentis Mayeri praecipitetur vel turbetur.

Caute servetur.

○ Extractum Secalis cornuti.

Secalis cornuti grosso modo pulverati *partes decem*.....**10,**
admixtis
Aquae *partibus viginti*.....**20**
per horas sex macera.
Quibus expressis, id, quod restiterit, eadem ratione iterum tracta.
Liquores sic effectos misce, cola, evaporando ad *partes sex* redige.
Quod Extractum concentratum admixtis
Spiritus diluti *partibus quattuor*.....**4**
per triduum ita sepone ut saepius conquasses tum filtra et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Extractum fuscum, in Aqua limpide solubile.
Caute servetur.

Extractum Strychni.

Seminis Strychni grosso modo pulverati *partes decem*.....**10**
Spiritus diluti *partibus viginti*.....**20**
per horas viginti quattuor digere.
Quibus expressis, id, quod restiterit, additis
Spiritus diluti *partibus quindecim*.....**15**
eadem ratione iterum tracta.

Liquores exprimendo et filtrando effectos misce et evaporando ad Extractum **siccum** redige.

Extractum fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extracti *grammata quattuor* cum *centimetris cubicis quinquaginta* Liquoris Acidi normalis calore bene commixta, si refrixerint Aqua evaporata suppleta, filtra. Liquoris *centimetros cubicos viginti quinque* in infundibulo separatorio *volumine* circiter *dimidio* Liquoris Natri caustici admixto ter cum Chloroformii *centimetris cubicis quinquagenis* deinceps conquassa. Chloroformium limpidum in calycem vitreum antea pensam transmitte, tum destillando remove. Residuum, quod substantias alcaloideas praebet, calore 100° plane siccatum, sit ponderis *grammatum 0,28* ad *0,32*.

Alcaloidea in Acido sulfurico soluta, Frustulo Kalii bichromici addito, colorem caeruleum vel violaceum ducant; eadem, Acido nitrico addito, colorem sanguineum praebeant.

Caute servetur.

Extractum Taraxaci.

Plantae vere ante floris tempus collectae, siccatae, concisae *partem unam*.....1

Aquae communis *partibus quinque*.....5

superfusam per horas quadraginta octo macera.

Quibus expressis, id, quod restiterit,

Aquae communis *partibus quinque*.....5
additis eadem ratione tracta.

Liquores exprimendo effectos misce, coque, filtra, evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Extractum fuscum, in Aqua limpide solubile.

Farina Lini.

Semina Lini grosso modo pulverata et ab oleo pingui liberata.

Farina ne ranceat.

Ferrum citricum oxydatum.

Liquorem Ferri citrici oxydati calore 60° non superante ad spissitudinem sirupi evaporatum et in laminis vitreis ad strata tenuia diffusum leni calore sicca, quoad lamellae separari potuerint.

Lamellae diaphanae, coloris rubro fusci, in aëre persistentes, in Aqua frigida tarde, in ebulliente facile, in Spiritu non solubiles.

Solutio aquosa Kalio ferrocyanato addito colorem caeruleo viridem trahit, qui Acido hydrochlorico addito, in intense caeruleum transit; cum Liquore Natri caustici calefacta sedimentum e rubro fuscum efficit.

Solutio aquosa (1 = 5) Liquore Ammonii caustici ne praecipitetur; si cum excessu Liquoris Kali caustici coxeris, quoad Ferrum oxydatum prorsus praecipitatum erit, ne Ammonium emittat. Liquor filtrando ab sedimento liberatus et Acido acetico acidulatus, longiore temporis spatio interjecto, ne sedimentum crystallinum praebeat; Acido nitrico acidulatus Baryo nitrico ne turbetur nisi paullum.

Salis *grammate uno* candefacto, Ferrum oxydatum, quod restiterit ponderis non minus quam *grammatum 0,25* sit; neque reactionem alcalinam praebeat.

Ferrum citricum ammoniatum.

Liquoris Ferri citrici oxydati *partes tres*.....**3**

cum

Liquoris Ammonii caustici *parte una*.....**1**

commixtas, calore 60° non superante ad spissitudinem sirupi evapora; liquorem concentratum in laminis vitreis ad strata tenuia diffusum leni calore sicca, quoad lamellae separari potuerint.

Lamellae diaphanae, coloris rubro fusci, reactionis parum acidae, humescentes, in Aqua facile neque in Spiritu solubiles.

Solutio aquosa, Kalio ferrocyanato addito colorem caeruleum tum demum praebeat, quum Acidum hydro-

chloricum admixtum est; cum Liquore Natri caustici fervefacta, Ammonium emittens, sedimentum e rubro fuscum efficit.

Si solutionem aquosam (1 = 5) cum excessu Liquoris Kali caustici coxeris, quoad Ferrum oxydatum prorsus praecipitatum erit, liquor filtrando ab sedimento liberatus et Acido acetico acidulatus, longiore temporis spatio interjecto, ne sedimentum crystallinum praebeat.

Salis *grammate uno* candefacto, Ferrum oxydatum, quod restiterit ponderis circiter *grammatum 0,25* sit neque reactionem alcalinam praebeat.

In vasis bene clausis, a luce remotum, servetur.

Ferrum lacticum.

Crustae e subviridi albae, ex crystallis acicularibus concretae vel pulvis crystallinus, odoris non distincti peculiaris; in *partibus quinquaginta* Aquae solvuntur ad liquorem e subviridi flavum reactionis subacidae.

Solutio aquosa Kalio ferricyanato addito sedimentum coloris intense caerulei efficit.

Ferrum lacticum cum Acido sulfurico contritum et sepositum ne colorem fuscum ducat, neve gasa emittat.

Solutio aquosa saturata, additis aut Plumbo acetico aut, si exiguo Acido hydrochlorico acidulaveris, Aqua hydrosulfurata tantummodo opalescat, neque vero sedimentum coloratum det.

Salis *grammate dimidio* cum *centimetris cubicis quinque* Acidi hydrochlorici diluti brevi tempore cocto, tum cum Liquore Natri caustici in excessu addito iterum cocto et seposito, liquor superstans coloris expers sit.

Salis *gramma unum* candefactum odorem Sacchari torrescentis emittens, Ferrum oxydatum ponderis circiter *grammatum 0,27* relinquat; quod residuum ne reactionem alcalinam praebeat.

In vasis bene clausis servetur.

Ferrum pulveratum.

Pulvis ponderosus, nitoris metallici levis, coloris grisei, qui magnete attrahitur et in Acidis sulfurico vel hydrochlorico dilutis Hydrogenium emittens solvitur.

Ferri pulverati *grammata duo* in *centimetris cubicis triginta* Acidi hydrochlorici diluti parvo residuo remanente solvantur. In quo quod evolvitur Hydrogenium chartam solutione Argenti nitrici (1=2) humectatam ne statim colore flavo aut fusco inficiat. Solutio Acidi hydrochlorici diluti ope parata, postquam Ferrum, Acido nitrico oxydatum, Liquore Ammonii caustici abunde addito praecipitaveris, filtrata liquorem coloris expertem efficiat, qui Liquore Ammonii sulfurati ne turbetur.

Ferrum reductum.

Pulvis subtilis, griseus vel griseo niger, nitoris expers, qui magnete attrahitur et, si fervefeceris, ardet, tum exstinctus colorem nigro fuscum ducit.

Ferri reducti *grammata duo* in *centimetris cubicis triginta* Acidi hydrochlorici diluti parvo residuo remanente solvantur. In quo quod evolvitur Hydrogenium odoris fere expers sit et chartam Solutione Argenti nitrici (1=2) humectatam statim colore nec flavo nec fusco inficiat. Solutio Acidi hydrochlorici diluti ope parata, postquam Ferrum, Acido nitrico oxydatum, Liquore Ammonii caustici abunde addito praecipitaveris, filtrata liquorem coloris expertem efficiat, qui Liquore Ammonii sulfurati ne turbetur. Aqua cum Ferro reducto conquassata et filtrata chartam exploratoriam ne mutet neve evaporata, residuum nisi exiguum relinquat.

Ferri *gramma unum* in cucurbita vitrea *centimetris cubicis viginti* Aquae, *grammatis duobus et dimidio* Kalii jodati, *grammatis 2,72* Jodi additis, aëre excluso, saepius agitando, leni calore, per aliquot horas sepone. Si liquorem refrigeratum cum exiguo Carboneo sulfurato conquassaveris, hoc ne coloretur, id quod non minori quam *partibus sexaginta* Ferri (Fe) in *partibus centum* respondet.

In vasis bene clausis servetur.

Ferrum sesquichloratum.

Massa crystallina, coloris subfusci vel aurantiaci, facile humescens, reactionis acidae, Acidum hydrochloricum vix redolens, in et Aqua et Spiritu plane solubilis.

Solutio aquosa, Argento nitrico addito sedimentum album efficit, in Acido hydrochlorico diluto non solubile; Acido hydrochlorico diluto temperata Kalio ferrocyanato addito, sedimentum intense caeruleum dat.

Ferrum sesquichloratum, bacillo vitreo, quod Liquore Ammonii caustici humefactum erit, propius admoto, ne nebulas albas exhalet, neve chartam Zinci jodati cum Amylo humectam propius admotam colore caeruleo inficiat; in Aethere paene plane solvatur.

Solutio aquosa (1 = 5) cum *volumine aequali* Liquoris Ammonii caustici calefacta, si filtraveris, liquorem coloris expertem det. Qui liquor Aqua hydrosulfurata ne coloretur neve turbetur; evaporatus et candefactus ne residuum ullum fixum relinquat. Aliquot parte ejus liquoris cum *volumine aequali* Acidi sulfurici paullatim commixta, tum Solutione Ferri sulfurici saturata per strata disjuncta, zona intermedia subfusca ne oriatur.

Solutio aquosa (1 = 100) coquendo ne turbetur, neve Baryo nitrico intra duodecimam horae partem turbetur, neve Kalio ferricyanato colorem caeruleum praebeat.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis, a luce remotum, servetur.

○ Ferrum subcarbonicum.

Pulvis amorphus, subtilis, coloris e rubro fusci, in Aqua non solubilis.

In Acido hydrochlorico diluto parum effervescens plane solvitur, qui liquor additis et Kalio ferrocyanato et ferricyanato sedimentum caeruleum efficit.

Aqua cum Ferro subcarbonico conquassata tum filtrata sit reactionis neutralis, evaporata ne residuum nisi exiguum relinquat. Solutio Acidi nitrici diluti ope parata (1=20), additis Argento nitrico aut Baryo nitrico tantummodo opalescat. Solutio Acidi hydrochlorici ope parata cum exiguo Acido nitrico cocta, si Liquorem Ammonii caustici abunde admiscueris et calore filtraveris, liquorem limpidum, coloris expertem det, qui Aqua hydrosulfurata aut Natrio carbonico nec coloretur nec turbetur.

Ferrum sulfuricum.

Frustulorum Ferri mundorum ab ferrugine liberatorum *partes duas*.....2

Aquae communis *partibus octo*.....8

et

Acidi sulfurici *partibus tribus*.....3

inter se mixtis calore solve.

Quam solutionem, evolutione gasi fere peracta, adhuc calentem filtra. Liquorem limpidum in

Spiritus *partes quattuor*.....4

agitans infunde. Farinam crystallinam in filtrum statim immissam, Spiritus parte aliqua elue et exprime, pande in chartam bibulam et in aëre celeriter sicca.

Pulvis crystallinus, aëre sicco fatiscens, in *partibus 1,8* Aquae ad liquorem subviridem solvitur.

Solutio aquosa Kalio ferricyanato addito colorem intense caeruleum ducit; Baryo nitrico addito sedimentum album efficit, in Acidis non solubile.

Si salis *grammata duo*, in Aqua soluta et coquendo cum Acido nitrico prorsus oxydata, Liquore Ammonii caustici abunde temperaveris, liquor coloris expers, quem filtrando effeceris, ne Liquore Ammonii sulfurati turbetur, neve evaporatus candefactusque residuum fixum relinquat.

In vasis bene clausis servetur.

Ferrum sulfuricum crudum.

Fragmenta crystallina, subviridia vel crystalla viridia, saepius extrinsecus leviter fusca, paullum humida vel pulvere albido obducta.

Sal in *partibus quinque* Aquae solutum, liquorem ne efficiat distincte fuscum, turbidum; qui liquor addito Aqua hydrosulfurata ne colorem nisi tantummodo fuscum trahat.

Flores Arnicae.

Arnica montana *Linn.*

Anthodia radiata floribus e rubro flavis praedita. Calycis involucrum biseriatum, pilosum includit receptaculum alte convexum, foveolatum, pilosum. Flores radii circiter viginti numero, ligulati, tridentati, *sex millimetros* lati, maxime *triginta millimetros* longi, septem ad decemplinervii; disci tubulosi. Fructus setosi, quinquangulares sunt pappo, qui constat ex pilis acutis, rigidis, ad *millimetros octo* longis, coronati. Flores Arnicae odoris sint leviter aromatici, saporis simul subamari.

Ab involucro receptaculoque liberati sint adhibendi.

Flores Chamomillae.

Matricaria Chamomilla *Linn.*

Anthodia radiata, pilorum expertia, receptaculo nudo, conico, intus cavo, ad *millimetros quinque* alto, et peranthodio imbricato praedita. Flores marginales albi, ligulati, duodecim ad duodeviginti numero; disci multo plures coloris flavi, tubulosi. Fructus parvi, non pappo coronati. Flores Chamomillae odoris sint aromatici, saporis aromatici simulatque subamari.

Flores Cinae.

Artemisia maritima *Linn.* var **Stechmanniana** *Besser.*

Anthodia non apperta, coloris subviridis vel fusci, *millimetros* circiter *tres* longa, ad *millimetros unum et dimidium* crassa. Foliola velamentosa calva, duodecim ad duodeviginti numero, carinata, in marginibus glandulis minutis coloris aurei munita flosculos non appertos tres ad quinque numero includunt. Flores Cinae et saporis et odoris peculiaris, subamari, leviter Camphoram redolentes.

Non adhibenda sunt folia, caules petiolique.

Flores Koso.

Hagenia Abyssinica *Willd.*

Paniculae conicae multis floribus femineis munitae, plerumque in fasciculos *decimetros tres* ad *quinque* longos, *centimetros sex* ad *octo* crassos, culmis Cyperi articulati in spiram circumvolutae inveniri solent. Flores duabus bracteis magnis muniti, satis arcte adhaerent petiolis infractis, valde pilosis, *millimetrum unum* crassis. Calyx exterior constat e foliolis coloris rubro fusci, retiforme nervosis, quattuor ad quinque numero, ad *unum centimetrum* longis, infra parte setosis; in quo includuntur Calyx interior e foliolis minoribus, quattuor ad quinque numero, compositus et petala etiam minora numero aequalia, multa staminodia et duo styli. Flores Koso saporis sunt

mucilaginosi, tum acriter amari, constringentis.

Ab caulibus mundati adhibendi sunt.

○ Folia Digitalis.

Digitalis purpurea *Linn.*

Folia oblonge ovata, rugosa, maxime *decimetros tres* longa, *decimetrum* circiter *unum* lata, in petiolum attenuata, irregulariter crenata. Superficies inferior tomentum pilorum mollium, haud implicatorum et reticulum nervorum ramosissimum praebet. Folia Digitalis saporis sint ingrati, amari.

Floris tempore colligenda et celeriter siccanda sunt.

Caute serventur neque id plus unum annum.

Folia Jaborandi.

Pilocarpus pennatifolius *Lemaire.*

Folia imparipinnata ex duobus ad quattuor jugis breviter petiolatis vel sessilibus et uno folio terminali impari longius petiolato constantia. Foliola crasse coriacea, paene calva, lanceolata vel ovata, integerrima, paullum praeobtusa vel emarginata, *centimetros septem* ad *sedecim* longa, *centimetros quattuor* ad *septem* lata. Foliis luci penetranti objectis, puncti pellucidi irregulariter sparsi

dignoscuntur. Folia Jaborandi odoris subaromatici, contrita fortius aromatici, saporis subamari simul acris.

Caute serventur.

Folia Menthae.

Mentha arvensis *Linn.* var **piperascens** *Holmes.*

Folia ovato-lanceolata, petiolata, pilosa, in basi integerrima, acumen versus serrata. Folia Menthae odoris fortis, peculiaris, saporis primo ustulantis aromatici, postremo refrigerantis.

Folia Salviae.

Salvia officinalis *Linn.*

Folia oblongo-ovata, petiolata, paullum crassa, crenulata, interdum infima parte auricula praedita. Superficies reticulo venarum perramoso et tomento pilorum griseorum vestita. Folia Salviae odoris saporisque peculiariter aromatici, subamari, acerbi.

Folia Sennae.

Cassia acutifolia *Delile.* **Cassia angustifolia** *Vahl.*

A. **Folia Sennae Alexandrinae**

Folia, quae offert **Cassia acutifolia.**

Foliola acute ovata, in basi inaequalia, calva vel margine et nervis exigue pilosa, *centimetros unum* ad *tres* longa, *millimetros sex* ad *duodecim* lata.

Folia ne cum ramulis, leguminibus vel foliolis Cynanchi Arghel Delile commixta sint nisi exigua. Haec crassiora, gibbosa, coloris griseo viridis, pilis rigidis dense tecta, in basi aequalia.

B. **Folia Sennae de Tinnevelly.**

Folia, quae offert **Cassia angustifolia.**

Haec constant ex foliolis multo longioribus, *centimetris sex* longis, *centimetris* ad *duos* latis.

Folia ne adhibeantur subfusca aut subflava.

Folia Uvae Ursi.

Arctostaphylos Uva Ursi *Spreng.*

Folia obovata, *centimetros duos* longa, *millimetros* ad *octo* lata, subtus mox in petiolum non longiorem quam *millimetros tres* attenuata, integerrima. Sursum nitida, calva, distincto nervorum reticulo praedita. Folia Uvae Ursi saporis subamari, acerbi.

Foliorum *pars una* Aquae *partibus quinquaginta* per horas nonnullas macerata, tum filtrata, si, additis frustulis Ferri sulfurici conquassaveris, brevi tempore colorem intense violaceum trahit.

Fructus Cardamomi.

Elettaria Cardamomum *White* et *Maton.*

Capsulae fructuum coloris flavidi, rotunde trigonae, *unum* ad *duos centimetros* longae, circiter *unum centimetrum* crassae, Valvarum ternarum unaquaeque circiter duodenis nervis per longitudinem trajecta. Capsula, rostello *unum* ad *duo millimetros* longo coronata, continet in loculis ternis circiter septena semina ordine verticali disposita, fusca, irregulariter angulata, rugosa. Semina et odoris mitis, camphoracei et saporis peculiaris sunt.

Capsulae autem et odoris et saporis expertes.

Fructus Colocynthidis.

Citrullus Colocynthis *Schrad.*

Fructus decorticati, siccati, albi, globosi, multa semina ovalia continent. Tela fructus spongiosa, laxa, albida, saporis amarissimi, odoris expers.

E seminibus mundati adhibeantur.

Caute serventur.

Fructus Cubebae.

Cubeba officinalis *Miq.*

Fructus immaturi, coloris intense e griseo fusci, globosi, maxime *quinque millimetrorum* diametro. Pericarpium tenue, reticulo-rugosum, in superiore parte stigmate erecto praeditum et in inferiore parte in petiolum ad *millimetros sex* longum extenuatum, semen basi affixum, plerumque corrugatum includet. Fructus Cubebae saporis acris, aromatici, subamari.

Fructus Foeniculi.

Foeniculum capillaceum *Gilib.*

Cremocarpia oblongo teretiuscula e fusco viridis, *millimetros quattuor* ad *octo* longa, *millimetros tres* lata, plerumque in mericarpia separata. Inter nervos claros, quinque numero, quorum marginales maxime eminent, meatus oleiferi translucent. Fructus Foeniculi et saporis et odoris aromatici, subdulcis.

Gallae.

Tumores saccoides in foliis **Rhois semialatae** *Murr.* var. *Osbeckii D. C.* ictu **Aphidis chinensis** J. Bell. effecti,

irregulariter ovales, varie gibbosi et foveati, *centimetros unum* ad *sex* longi, saepius petiolati, perforati. Paries durus, corneus, coloris griseo fusci, extrinsecus tomento pilorum sericeorum, griseorum vestitus. Gallae intus cavae, pulverem griseum, saepe Aphides mortas continere solent.

Glandulae Lupuli.

Lupulinum.

Humulus Lupulus *Linn.*

Glandulae florum pulverem subcrassum, inaequabilem primo adhaesivum, coloris e fusco flavi praebent. Glandula microscopii ope contemplanti e cellulis polygonalibus constructa et boleto similis esse videtur. Praeter pauca fragmenta plantae Lupuli ne quid admixtum sit. Glandulis Aethere exhaustis, residuum *partem unam* ex *partibus tribus* ne superet; Aether exhalatus, extractum relinquat fuscum, odoris ejusdem peculiaris quod est Lupuli.

Ad cinerem redactae residui ne plus quam *decem* ex *partibus centum* relinquant.

In vasis bene clausis, a luce remotae, serventur, neque ultra annum unum.

○ Glycerinum.

Liquor limpidus, et coloris et odoris expers, dulcis spissitudinis sirupi, quavis proportione in Aqua, Spiritu, neque vero in Aethere, Chloroformio, Oleis sebacicis solubilis; ponderis specifici 1,23 ad 1,26.

Glycerinum candefactum ne residuum fixum relinquat, neve cum Liquore Natri caustici fervefactum coloretur, aut Ammonium emittat, neve, cum Acido sulfurico diluto fervefactum, odorem insuavem, rancidum exhalet. Glycerinum cum *volumine aequali* Acidi sulfurici commixtum ne coloretur nisi vix; Solutionem Argenti nitrici ammoniacalem admixtam intra quadrantem horae ne coloret.

Solutio aquosa (1 = 5) sit reactionis neutralis, ne Ammonio oxalico, neve Baryo nitrico, neve Argento nitrico, neve Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati turbetur aut coloretur.

Gossypium depuratum.

Gossypium album, mundum in mixtione e *parte aequali* Liquoris Ammonii caustici et Aquae parata per horas nonnullas infusum, Aqua elue, quoad haec reactionem neutralem praebuerit, tum expressum discerpe et sicca.

In Aqua statim desidat; chartam exploratoriam humectam ne mutet; cineris ex *centum partibus* ne plus quam *unam* relinquat.

Gossypium stypticum.

Gossypium depuratum mixtione e Liquoris Ferri sesquichlorati *partibus viginti quinque* et Spiritus *partibus quindecim* parata, imbutum, tum expressum discerpe et loco a luce remoto, sicca.

In vasis bene clausis servetur.

○ Gummi Arabicum.

Acacia Verek *Guill* et *Perr.*

Frusta globosa vel angulosa, coloris expertia, vel leviter subflavescentia, rimosa; per fracturam pellucida, vitri instar nitentia; saporis insipidi mucilaginosi; contrita pulverem albidum efficientia.

Gummi *parte duplici* Aquae paullatim ad mucilaginem limpidam vel fere limpidam, reactionis subacidae solvatur. Quae Mucilago Gummi Arabici ne Liquore Plumbi acetici praecipitetur sed additis Spiritu aut Liquore Plumbi subacetici sedimentum flocculosum efficiat; Liquore Ferri sesquichlorati ad gelatinam rigidam inspissatur, neque vero intense viride coloretur.

Gummi Arabicum combustum residui ne plus quam ex *partibus centum partes tres* relinquat.

Gutta Percha.

Dichopsis Gutta *Hooker.*

Frusta cornea, coloris grisei vel flavo fusci, flexibilia, vix elastica, saepius stratis rubro fuscis praedita, quae calore circiter 70° plastica, in Aqua ebulliente mollissime fit. Gutta Percha in Chloroformio, Oleo Terebinthinae, Carboneo sulfurato, Benzolo solubilis, neque vero in Aqua, Spiritu; ponderis specifici 0,96 ad 0,99.

Herba Cannabis Indicae.

Cannabis sativa *Linn.*

Summitates caulium plerumque femineorum, quos offert **Cannabis sativa** in India septentrionali nascens, fructibus maturescentibus, collectae. Folia anguste lanceolata, serrato-dentata, utramque extremitatem versus attenuata, saepius spicis substantia resinosa agglutinata. Herba Cannabis Indicae odoris fortis et narcotici, saporis subacris.

Herba Cannabis Indicae viridis praeferanda sit; ne caules, neve fructus admixti sint, nisi exigui.

Caute servetur.

Herba Hyoscyami.

Hyoscyamus niger *Linn.*

Folia et rami florentes. Folia basilaria oblonge ovata, *centimetros* summum *triginta* longa, ad *centimetros decem* lata, in petiolum attenuata, in utriusque partis margine dentibus grandibus ternis vel senis crenata. Folia petiolata sunt minora, sessilia, summa in utraque folii parte simpliciter dentata. Petioli et nervi foliorum mollibus pilis copiosis vestiti; lamina saepe calva. Corolla quinqueloba, e subflavo pallens, nervis violaceis trajecta; capsula bilocularis, maturata, operculo circum undique dehiscente patescit. Herba odoris insuavis, narcotici; siccata et odoris et saporis non distincti.

Caute servetur; neque id diutius anno uno.

Herba Lobeliae.

Lobelia inflata *Linn.*

Planta, dum floret, recisa, siccata et plerumque in lateris formam pressa. Folia petiolis carentia, ovata, paullum crenata, margine glandulis setulisque instructa sunt. Super flores subviolaceos, bilabiatos bractea acute ovata eminet; semina fusca creberrima saporis acuti, acris, vix *millimetri dimidii* continentur duobus loculamentis capsulae ventricosae, tenuibus septis circumdatae, calyce quinquepartito coronatae.

Herba Scopoliae.

Scopolia Japonica *Maxim.*

Folia et rami florentes. Folia ovata vel oblonge ovata, *centimetros* circiter *duodeviginti* longa, *centimetros decem* lata, in inferiore parte in petiolum attenuata; margine undulata; flores axillares campanulati, quinquelobati, coloris fusco purpurei, nervis coloris intensioris trajecti. Capsula bilocularis, operculo circum undique dehiscente patescit. Folia siccata, tenuia, subfusca, odoris non distincti, saporis insuavis, subamari.

Folia Belladonnae, quae offert Atropa Belladonna Linn., loco Herbae Scopoliae adhibere licet.

Caute servetur, neque annum unum.

○ Hirudines.

Hirudo Nipponica *Whitman.*

Hirudo ponderis *grammatum 0,25* ad *0,35*, coloris plerumque olivacei, in tergo intensioris, in ventre clarioris, in utroque margine lineis flavis praedita est. Tergum taeniis flavis, longitudinalibus, quinque numero trajectum est; quae taeniae quacumque in parte, segmenta bina, ex quinis annulis constantia, inter se contigunt, deminutae vel interruptae sunt. Taenia mediana plerumque latior et distincta.

Hydrargyrum.

Metallum liquidum, nitoris argentei, ponderis specifici 13,57.

In tubulo vitreo fervefactum plane avolet.

Hydrargyrum ne sit humidum; in lagena vitrea sicca agitatum vitro ne adhaerescat, neve nitorem argenteum amittat.

○ Hydrargyrum bichloratum.

Frusta alba, diaphana, ponderosa, radiate crystallina vel crystalla acicularia vel pulvis albus, crystallinus, in *partibus sedecim* Aquae frigidae, in *tribus* ebullientis, in *tribus* Spiritus, in *quattuor* Aetheris solvuntur. Solutio aquosa reactionis est acidae et, Natrio chlorato addito, neutralis fit.

Solutio aquosa, Aqua Calcariae admixta sedimentum subrubrum efficit; addito Argento nitrico sedimentum album in Acido nitrico diluto non solubile.

Sal in tubo vitreo fervefactum, liquescat, tum plane aufugiat.

Ex solutione aquosa calida si Hydrargyrum Acido hydrothionico prorsus praecipitaveris, liquor, quem filtrando effeceris, evaporatus ne ullum residuum relinquat. Sedimentum sic effectum, si cum Liquore Ammonii caustici conquassaveris, liquor, quem filtrando effeceris,

Acido hydrochlorico diluto temperatus ne colorem flavum trahat.

Cautissime servetur.

Hydrargyrum bijodatum.

Hydrargyri bichlorati *partes novem*.....**9**

in

Aquae calidae *partibus centum quinquaginta*..**150**

solutas et refrigeratas solutioni ex

Kalii jodati *partibus undecim*.....**11**

et

Aquae *partibus triginta*.....**30**

paratae agitando adde.

Sedimentum sic effectum et in filtrum collectum, Aqua elue, quoad liquor defluens Argento nitrico addito tantummodo opaluerit, et leni calore sicca.

Pulvis coccineus, fervefactus flavescens; in Aqua paene insolubilis, in *partibus quadraginta* Spiritus ebullientis, in Liquore Kalii jodati solubilis.

Hydrargyrum bijodatum cum Liquore Natri caustici et exiguo Saccharo Lactis fervefactum Hydrargyrum secernit; cum Mangano hyperoxydato et Acido sulfurico fervefactum vapores violaceos emittit.

In tubo vitreo fervefactum plane aufugiat.

Hydrargyri bijodati *parte una* cum Aquae *partibus viginti* conquassata, liquor, quem filtrando effeceris, ne

Aqua hydrosulfurata, neve Argento nitrico turbetur nisi paullum.

Cautissime, a luce remotum, servetur.

○ Hydrargyrum chloratum.

Calomelas.

Pulvis subflavo albus, ponderosus, sublimatione paratus, in aëre persistens, in Aqua, Spiritu, Aethere non solubilis.

Hydrargyrum chloratum Liquore Ammonii caustici superfusum nigrescit.

In tubo vitreo fervefactum plane aufugiat neque vero antea liquescat; cum Liquore Natri caustici calefactum, Ammonium nullum emittens, nigrescat; cum *decemplicibus partibus* Aquae vel Spiritus conquassatum, liquor, quem filtrando effeceris, ne Aqua hydrosulfurata, neve Argento nitrico turbetur.

„Keïfun"

Crystalla alba, squamosa, nitida.

Si aliae qualitates et reactiones supra de Hydrargyro chlorato dictis respondent, hoc sal loco Hydrargyri chlorati adhibere licet.

Caute, a luce remotum, servetur.

Hydrargyrum jodatum.

Hydrargyri *partes octo*.....8
Jodi *partes quinque*.....5

Jodum, aliquot guttas Spiritus adspergens, cum Hydrargyro paullatim contere, donec globulos Hydrargyri jam nullos dignoscere possis et pulvis colorem aequabilem, e subviridi flavum duxerit. Deinde Spiritu elue, quoad Spiritus defluens Aqua hydrosulfurata jam non mutatus erit, et a luce remotum sicca.

Pulvis e subviridi flavus, amorphus, ponderosus, in Aqua perpaullum solubilis, in Spiritu insolubilis.

Hydrargyrum jodatum cum excessu Liquoris Kalii jodati conquassatum, Hydrargyrum emittens, colorem griseum ducit; cum Mangano hyperoxydato et Acido sulfurico calefactum vapores violaceos emittit.

In tubo vitreo calefactum plane aufugiat. Hydrargyri jodati *parte una* cum Spiritus *partibus viginti* conquassata, liquor, quem filtrando effeceris, Aqua hydrosulfurata ne ullo modo vel vix mutetur.

Caute, a luce remotum, servetur.

Hydrargyrum oxydatum flavum.

Hydrargyri bichlorati *partes duas*.....2
in Aqua calida solutas, mixtioni e

Liquoris Natri caustici *partibus sex*.....**6**

et

Aquae *partibus decem*.....**10**

paratae agitando paullatim adde.

Sedimentum in filtrum collectum Aqua calida elue, quoad liquor defluens Argento nitrico jam non mutatus erit, calore 40° non excedente sicca.

Pulvis flavus, amorphus, ponderosus, in Aqua, Spiritu non solubilis, in Acidis aut hydrochlorico aut nitrico dilutis facile solubilis.

Hydrargyrum oxydatum fervefactum nigrescit, tum Hydrargyrum emittit.

In tubo vitreo calefactum plane aufugiat; cum Solutione Acidi oxalici (1 = 12) conquassatum colorem album ducit. Aqua cum Hydrargyro oxydato conquassata et filtrata ne Aqua hydrosulfurata mutetur.

Solutio aquosa (1 = 100) Acidi nitrici diluti ope parata, addito Argento nitrico tantummodo opalescat.

Cautissime, a luce remotum, servetur.

○ Hydrargyrum oxydatum rubrum.

Pulvis crystallinus, aurantiacus, in aëre persistens, in Aqua, Spiritu insolubilis, in Acidis aut hydrochlorico aut nitrico dilutis facile solubilis.

Hydrargyrum oxydatum fervefactum nigrescit, tum Hydrargyrum emittit.

In tubo vitreo fervefactum, non vapores subrubros emittens, plane aufugiat; chartam exploratoriam caeruleam humectam ne rubefaciat, neve, cum Solutione Acidi oxalici (1 = 12) conquassatum colorem album ducat.

Cautissime, a luce remotum, servetur.

Hydrargyrum praecipitatum album.

Hydrargyri bichlorati *partibus decem*.....**10**

in

Aquae calidae *partibus ducentis*.....**200**

solutis, refrigeratione facta, agitando paullatim adde Liquorem Ammonii caustici tot, ut hic paullum praevaleat. Sedimentum in filtrum collectum, liquore delapso,

Aquae *partibus nonaginta* **90**

elue et inter chartas bibulas compressum leni calore, in loco a luce remoto, sicca.

Pulvis albus, amorphus, in aëre persistens, in Aqua, Spiritu fere plane insolubilis, in Acidis aut hydrochlorico aut nitrico calido dilutis, aut Liquore Natrii subsulfurosi frigido solubilis.

Hydrargyrum praecipitatum album cum Liquore Natri caustici calefactum Ammonium emittens, colorem flavum ducit.

In tubo vitreo fervefactum plane aufugiat neque vero antea liquescat.

Caute, a luce remotum, servetur.

Hydrargyrum sulfuratum rubrum.

Cinnabaris.

Pulvis intense ruber, subtilis, ponderosus, in aëre persistens, calefactus colorem obscuriorem ducens, in Aqua, Spiritu, Acidis aut hydrochlorico aut nitrico, Liquoribus Alkali non solubilis, in Aqua regia calida solubilis.

Solutio aquosa Aquae regiae ope parata et Aqua diluta, Baryo nitrico addito sedimentum album efficit; Stanno chlorato admixto sedimentum griseum demittit.

Hydrargyrum sulfuratum in tubo vitreo calefactum plane avolans ne ullum residuum relinquat nisi perpaullum.

Idem si cum Liquore Natri caustici leni calore conquassaveris, liquor coloris expers, quem filtrando effeceris, ne exiguo Plumbo acetico, aut Acido hydrochlorico diluto abunde addito coloretur neque turbetur.

Cum Acido nitrico diluto brevi tempore fervefacto color ruber ne mutetur; liquor coloris expers, quem filtrando effeceris, Aqua abunde admixta, Aqua hydrosulfurata ne coloretur.

Infusa.

Ad Infusum parandum substantias aequabiliter grosso modo pulveratas et Aqua ebulliente superfusas, interdum agitando per duodecimam horae partem in balneo aquae sepone, tum liquorem refrigeratum cola.

Infusa, ad quae quantum substantiae adhibeatur praescriptum non est, ita para, ut *partes decem* colaturae ex *parte una* substantiae efficias.

Quod attinet ad medicamenta fortiora, a medico est indicandum, quantum substantiae adhibeatur.

Infusum Rhei compositum.

Radicis Rhei concisae *partes decem*.....**10**

et

Natrii carbonici *partes tres*.....**3**

Aquae ebullientis *partibus nonaginta*.....**90**

superfusas per quadrantem horae sepone.

Quibus

Spiritus *partes decem* **10**

adde, hora una peracta, leniter exprimendo cola.

Colaturam cum

Aquae Cinnamomi *partibus quindecim*.....**15**

commisce.

Liquor limpidus, e rubro fuscus, reactionis peralcalinae, et odoris et saporis qualis est Rhei.

Ne paretur nisi praescriptum.

Infusum Sennae compositum.

Foliorum Sennae concisorum *partes sex*.....6
Aquae ebullientis *partibus quadraginta*.....40
superfusas per duodecimam partem horae in balneo aquae caleface. Quas refrigeratas cola et in colatura solve
Natrio-Kalii tartarici *partes quinque*.....5
et
Mannae *partes decem*.....10

Cujus liquoris sepositi, ut sedimentum subsidat, ac deinde colati *partes* sint *quinquaginta*.

○ Jodoformium.

Lamellae parvae, coloris citrini, nitidae, odoris penetrantis, quodammodo crocei, tactu pingues, calore circiter 119° liquescentes, in Aqua fere insolubiles, solubiles in *partibus* circiter *octoginta* Spiritus frigidi, in *decem* ebullientis, in *partibus sex* Aetheris, in Chloroformio, Carboneo sulfurato, Benzolo, Oleis sebacicis, aethereisque; fortiter calefactae vapores violaceos emittentes.

Jodoformium in tubulo vitreo calefactum nullo residuo remanente aufugiat.

Jodoformii *parte una* cum Aquae *partibus viginti* conquassata, liquor, quem filtrando effeceris, coloris expers, reactionis neutralis sit; idem, addito Argento nitrico,

tantummodo opalescat; Baryo nitrico ne mutetur.

Caute servetur.

Jodum.

Tabulae rhombicae, coloris e griseo nigri, nitoris metallici, friabiles, odoris peculiaris, calore 114° liquescentes; in Aqua perpaullum, in Aethere, Solutione Kalii jodati, Spiritus *partibus decem* ad liquorem fuscum, in Chloroformio, Benzolo, Carboneo sulfurato ad liquorem violaceum solubiles.

In tubo vitreo calefactum vapores violaceos emittens plane aufugiat.

Jodi *grammate dimidio* cum Aquae *centimetris cubicis viginti* conquassato, si *partem unam* liquoris subfusci filtrando effecti Liquore Natrii subsulfurosi decinormali, donec decolorata erit, deinde exigua Solutione Ferri sulfurici, *gutta una* Liquoris Ferri sesquichlorati, pauxillo Liquoris Natri caustici temperaveris et leniter calefeceris, liquor refrigeratus, Acido hydrochlorico diluto in excessu addito, longiore quidem temporis spatio interjecto ne colorem caeruleum trahat. Alia parte solutionis decoloratae Liquore Ammonii caustici abunde temperata ac deinde Argento nitrico prorsus praecipitata, liquor, quem filtrando effeceris, Acido nitrico abunde saturatus turbationem exhibeat, non sedimentum.

Jodi *grammata 0,2* cum *grammate dimidio* Kalii jodati in *centimetris cubicis quinquaginta* Aquae soluta non minus quam *centimetros cubicos 15,5* Liquoris Natrii subsulfurosi decinormalis requirant, ut decolorentur, id quod minime *98,5* Jodi (J) in *partibus centum* respondet.

Caute, in vasis epistomiis vitreis bene clausis, servetur.

Kali causticum.

Frusta vel bacilla cylindrica sicca, alba, fortiter caustica, per fracturam crystallina, in aëre dilabentia, in Aqua facile solubilia.

Solutio aquosa, Acido tartarico in excessu saturata, sedimentum album, crystallinum efficit.

In *parte duplici* Aquae solutum et *parte quadruplici* Spiritus mixtum, perpaullum dumtaxat turbationem, non sedimentum sirupo simile praebeat. Kali caustici *gramma unum* in Aquae *grammatis duobus* solutum cum Aquae Calcariae *centimetris cubicis quindecim* coctum, deinde filtratum liquorem praebeat, qui, Acido hydrochlorico abunde suppetenti infusus, non effervescat.

Solutio aquosa (1 = 100) cum Acido nitrico acidulata, Baryo nitrico aut Argento nitrico tantummodo leviter turbetur.

Solutio aquosa (1 = 20) ope Acidi sulfurici diluti parata, cum *volumine dimidio* Acidi sulfurici commixta et

refrigerata, si Solutione Ferri sulfurici saturata per strata disjunxeris ne zonam intermediam subfuscam praebeat.

Caute, in vasis bene clausis, servetur.

○ Kalium aceticum.

Pulvis crystallinus albus vel crystalla squamosa, nitida, reactionis leviter alcalinae, in aëre humido celeriter dilabentia, in Aqua, Spiritu facile solubilia.

Sal, Acido sulfurico superfusum, Acidum aceticum emittit; solutio aquosa, Acido tartarico in excessu addito, sedimentum album, crystallinum praebet.

Solutio aquosa (1 = 20), Acido acetico addito, ne gasum emittat, neve Aqua hydrosulfurata mutetur; eadem Baryo nitrico, Ammonio oxalico, Argento nitrico tantummodo opalescat; solutio aquosa ne Liquore Ammonii sulfurati, neve Natrio phosphorico turbetur.

In vasis bene clausis servetur.

Kalium bicarbonicum.

Crystalla diaphana, coloris expertia, sicca, reactionis leviter alcalinae, in Aquae *partibus quattuor* solubilia, in Spiritu non solubilia.

Solutio aquosa, Acido tartarico in excessu admixto, effervescens sedimentum album, crystallinum demittit.

Solutio aquosa (1 = 20), Acido acetico acidulata Aqua hydrosulfurata ne mutetur. Eadem solutio Acido nitrico temperata, admixtis Baryo nitrico aut Argento nitrico tantummodo perpaullum turbetur; solutio aquosa Liquore Ammonii sulfurati ne turbetur.

Si Kalii bicarbonici *grammata quinque, centimetris cubicis quinque* Aquae superfusis, per sextantem horae seposueris, solutio decanthata et *volumine decemplici* Aquae diluta, adjectis *guttis duabus* Solutionis Hydrargyri bichlorati, ne demittat sedimentum coloris e rubro fusci.

○ Kalium bitartaricum.

Cremor Tartari depuratus.

Crystalla alba, dura vel pulvis albus crystallinus, in aëre persistens, reactionis acidae, in Aqua frigida difficilius, fervida facilius solubilis, in Spiritu non solubilis.

Candefactum odorem Sacchari tosti exhalans carbonescit; residuum Aqua affusum et filtratum liquorem alcalinum praebet. Qui liquor Acido tartarico in excessu addito sedimentum album crystallinum demittit.

Si salis *gramma unum* cum Acidi acetici *centimetris cubicis quinque* per semihoram interdum agitando seposueris et deinde cum Aquae *centimetris cubicis quinquaginta* commiscueris, liquoris filtrando effecti *centimetri cubici viginti quinque*, additis *guttis decem* Solutionis Ammonii oxalici ne statim turbetur.

Salis pulverati *pars una* cum *partibus viginti* Aquae paulisper conquassata, si filtraveris, liquorem praebeat, qui, Acido nitrico diluto temperatus, Baryo nitrico non turbetur, et Argento nitrico addito, tantummodo opalescat.

Solutio aquosa (1 = 10) ope Liquoris Ammonii caustici parata, Liquore Ammonii sulfurati ne turbetur nisi perpaullum.

Salis *grammatis tribus* leni ardore ad carbonem redactis, residuum sic effectum cum Aqua coctum liquorem alcalinum praebeat. Qui liquor filtratus ad neutralisandum non minus quam *centimetros cubicos 15,2* Liquoris Acidi normalis requirat, id quod minime *partibus nonaginta quinque* Kalii bitartarici ($C_4H_5KO_6$) in *centum* respondet.

○ Kalium bromatum.

Crystalla alba, cubica, nitida, in aëre persistentia, in *partibus duabus* Aquae, *ducentis* Spiritus solubilia.

Solutio aquosa, si Aqua chlorata temperaveris colorem e flavo fuscum ducit; Acido tartarico in excessu addito sedimentum album crystallinum praebet.

Solutio aquosa (1 = 5) chartam exploratoriam rubram ne statim mutet, neve Aqua hydrosulfurata mutetur, neve Baryo nitrico turbetur; si *gutta una* Acidi sulfurici diluti temperaveris et exiguo Chloroformio conquassaveris, huic nullum colorem inducat. Eadem cum Solutione Amyli

commixta, si exigua Aqua chlorata per strata disjunxeris zonam intermediam coloris caerulei ne exhibeat.

Centimetri cubici decem solutionis aquosae, cujus *centimetri cubici centeni grammata bina* Kalii bromati prorsus exsiccati continent, *aliquot guttis* Solutionis Kalii chromici additis, Liquoris Argenti nitrici decinormalis ne plus quam *centimetros cubicos septendecim* consumant, ut constanter rubicentur.

Kalium carbonicum.

Pulvis crystallinus, pure albus, humescens, reactionis fortiter alcalinae, in *parte aequali* Aquae limpide solubilis.

Solutio aquosa, Acido tartarico in excessu admixto, effervescens sedimentum crystallinum, album demittit.

Sal candefactum ne plus ponderis quam *quindecim* ex *partibus centum* amittat; ansae fili platinei affixum, si flammae admoveris, hanc colore non continenter flavo inficiat.

Solutio aquosa (1 = 20) ne Liquore Ammonii sulfurati, neve, Ammonio chlorato abunde addito fervefacta, turbetur; pauxillo Solutionis Ferri sulfurici et Liquoris Ferri sesquichlorati temperata, tum leviter calefacta, si Acido hydrochlorico diluto saturaveris, ne colorem caeruleum ducat; Acido nitrico diluto acidulata ne Argento aut Baryo nitricis, aut Ammonio molybdaenico distincte

turbetur ; Acido acetico saturata, Aqua hydrosulfurata ne mutetur.

Centimetri cubici decem solutionis aquosae (1 = 10) Acido sulfurico diluto saturati ne plus Solutionis Kalii permanganici quam *guttas quinque* decolorent.

Solutio aquosa (1 = 5) cum Acido Sulfurico diluto saturata, si *volumen dimidium* Acidi sulfurici et Solutionem Ferri sulfurici saturatam addideris, zonam intermediam coloris subfusci ne exhibeat.

Salis candefacti *gramma unum* ad neutralisandum plus quam *centimetros cubicos 13,8* Liquoris Acidi normalis requirat, id quod minime *nonaginta quinque* Kalii carbonici (K_2CO_3) in *partibus centum* salis sicci respondet.

In vasis bene clausis servetur.

Kalium carbonicum crudum.

Pulvis albus, granulosus, reactionis fortiter alcalinae, in *parte aequali* Aquae paene prorsus solubilis.

Solutio aquosa, Acido tartarico in excessu saturata, effervescens sedimentum album, crystallinum demittit.

Sal candefactum ne plus ponderis quam *viginti* ex *partibus centum* amittat.

Salis candefacti *gramma unum* ad neutralisandum *centimetros cubicos 11,6* Liquoris Acidi normalis consumat id quod minime *octoginta* Kalii carbonici (K_2CO_3) in

partibus centum salis sicci respondet.

In vasis bene clausis servetur.

○ Kalium chloricum.

Crystalla lamellaria, nitida, coloris expertia, reactionis neutralis, in aëre persistentia, in *partibus septendecim* Aquae frigidae, in *tribus* ebullientis solubilia, cum substantiis combustibilibus contrita explodentia.

Solutio aquosa cum Acido hydrochlorico calefacta, Chlorum emittens colorem e viridi flavum trahit; eadem, Acido tartarico in excessu addito, sedimentum album crystallinum demittit.

Solutio aquosa (1 = 30) ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati, neve Ammonio oxalico, neve Baryo nitrico mutetur; Argento nitrico addito tantummodo opalescat.

Sal in catino candefactum, residuum relinquat album, in Aqua prorsus solubile, quod non sit reactionis alcalinae nisi paullum.

Caute servetur.

Kalium ferro-tartaricum.

Liquoris Ferri sulfurici oxydati *partes duodecim*.....**12**

Aquae *partibus centum viginti*.....**120**

dilutas

Liquoris Ammonii caustici *partibus decem*....**10**

Aquae *partibus viginti*.....**20**

dilutis agitando adde.

Sedimentum sic effectum Aqua elue, quoad liquor difluens Baryo nitrico addito turbationem perpaullum praebuerit.

Sedimentum adhuc humectum cum

Kalii bitartarici *partibus quattuor*.....**4**

in

Aquae *partibus triginta*.....**30**

calore 60° non excedente in balneo aquae agitando solve.

Liquorem adhuc calentem filtrando effectum loco frigido et a luce remoto per horas viginti quattuor sepone. Sedimentum, quod ortum erit, in liquore agitando aequabiliter distribue et Liquoris Ammonii caustici tot adde, ut sedimentum prorsus solvatur. Liquorem ad spissitudinem sirupi evaporatum et in laminis vitreis ad strata tenuia expansum leni calore sicca, quoad lamellae separari potuerint.

Lamellae nitidae, diaphanae, coloris e rubro fusci, reactionis neutralis, leviter humescentes, in Aqua facillime

solubiles, in Spiritu non solubiles.

Solutio aquosa Kalio ferrocyanato addito colorem caeruleum tum primum praebet, si Acidum hydrochloricum admiscueris. Solutione aquosa concentrata cum Liquore Kali caustici abunde addito cocta, quoad Ferrum oxydatum prorsus praecipitatum erit, liquor filtrando ab sedimento liberatus et Acido acetico acidulatus sedimentum album crystallinum praebet.

Solutio aquosa (1 = 5) Liquore Ammonii caustici ne praecipitetur; cum Liquore Natri caustici fervefacta Ammonium ne emittat.

Salis *gramma unum* candefactum odorem Sacchari tosti exhalans, *grammata* circiter *0,6* residui fusci, reactionis alcalinae relinquat. Quod residuum Ferri oxydati *grammata* circiter *0,3* contineat.

In vasis bene clausis, a luce remotum, servetur.

○ Kalium jodatum.

Crystalla alba, cubica, sicca, in Aquae *partibus 0,8*, in Spiritus *partibus quindecim* solubilia.

Solutio aquosa, pauxillo Aquae chloratae temperata, si cum Chloroformio conquassaveris, huic colorem violaceum inducit; eadem, Acido tartarico in excessu addito, sedimentum album crystallinum demittit.

Sal ansae fili platinei affixum, si flammae admoveris, hanc colore flavo ne inficiat.

Sal in *parte quadruplici* Aquae solutum chartae exploratoriae rubrae ne statim colorem e violaceo caeruleum inducat; solutio aquosa (1 = 20) Aqua hydrosulfurata ne mutetur, Baryo nitrico addito, brevi tempore peracto tantummodo opalescat; eadem solutio, Solutione Amyli temperata, si *guttas nonnullas* Acidi sulfurici diluti affuderis, ne statim colorem caeruleum trahat.

Salis siccati *gramma unum* in Aquae *centimetris cubicis duobus* solutum Liquoris Hydrargyri bichlorati decinormalis ne minus *quam 29,6 centimetros cubicos* consumat, ut constanter rubicentur, id quod minime *nonaginta octo* Kalii jodati (KJ) in *partibus centum* salis respondet.

Caute, in vasis bene clausis, servetur.

Kalium nitricum.

Crystalla prismatica, pellucida, coloris expertia vel pulvis albus, crystallinus, siccus, reactionis neutralis, in aëre persistens, in Aquae frigidae *partibus quattuor*, ebullientis *0,4* solubilis, in Spiritu fere insolubilis.

Solutio aquosa, additis Solutione Ferri sulfurici et Acido sulfurico colorem e fusco nigrum ducit; Acido tartarico in excessu addito sedimentum album, crystallinum demittit.

Solutio aquosa (1 = 20) ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati, neve Natrio carbonico, neve Baryo nitrico mutetur; Argento nitrico adjecto tantummodo opalescat.

Kalium permanganicum.

Crystalla prismatica, coloris intense violacei, prope nigri, nitoris metallici, in aëre persistentia, in Aquae frigidae *partibus viginti*, ebullientis *tribus* solubilia, cum substantiis combustibilibus contrita explodentia.

Solutio aquosa diluta sit coloris e violaceo rubri; cum Solutione Acidi oxalici fervefacta decoloratur.

Solutio aquosa (1 = 1000) chartam exploratoriam ne mutet.

Salis *gramma dimidium*, cum Spiritus *grammatis duobus* et Aquae *viginti quinque* ad ebullitionem fervefactum, si filtraveris, liquorem coloris expertem praebeat, qui Baryo nitrico aut Argento nitrico temperatus, tantummodo opalescat neque, Acido sulfurico diluto et Zinco puro additis, si Solutionem Zinci jodati cum Amylo adjeceris, colorem caeruleum ducat.

A luce remotum, servetur.

Kalium sulfuratum.

Sulfuris sublimati *partem unam*.....1

et

Kalii carbonici crudi *partes duas*.....2

curiose mixtas in crucibulo amplo interdum agitans ferveface, quoad massa spumare desierit ejusque portiuncula, in Aqua solvatur. Quam

massam in laminam ferream immissam et refrigeratam contunde ad frustula.

Frustula coloris e flavo fusci, lente in colorem subviridem vel e viridi flavum abeuntia, Hydrogenium sulfuratum leniter redolentia, in aëre humido dilabentia, in Aquae *partibus* circiter *duabus* ad liquorem paene limpidum coloris flavo viridis, reactionis alcalinae solubilia.

Solutio aquosa Acido acetico saturata et calefacta Sulfure secedente magnam copiam Hydrogenii sulfurati exhalat et filtrata, Acido tartarico addito sedimentum album crystallinum praebet.

In vasis bene clausis servetur.

Kalium sulfuricum.

Crystalla alba, dura vel Crustae crystallinae, in Aquae frigidae *partibus decem*, ebullientis *quattuor* solubilia, in Spiritu non solubilia.

Solutio aquosa Baryo nitrico addito sedimentum album efficit, in Acidis non solubile; Acido tartarico in excessu addito sedimentum album, crystallinum demittit.

Sal ansae fili platinei affixum, si fervefeceris, flammam ne inficiat colore continenter flavo.

Solutio aquosa (1 = 10) chartam exploratoriam ne mutet, ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati, neve Natrio carbonico, neve Ammonio oxalico, neve Argento nitrico turbetur. Eadem *volumine aequali*

Acidi sulfurici temperata, si cum Solutione Ferri sulfurici concentrata per strata disjunxeris, ne praebeat zonam intermediam subfuscam.

Kalium tartaricum.

Crystalla coloris expertia, diaphana vel pulvis crystallinus, reactionis neutralis, in Aquae frigidae *partibus 0,8*, ebullientis *0,5* solubilis, in Spiritu parum solubilis.

Sal candefactum odorem Sacchari tosti emittens residuum reactionis alcalinae relinquit; solutio aquosa Acido acetico temperata, sedimentum album crystallinum demittit.

Cum Liquore Natri caustici calefactum ne Ammonium emittat.

Solutio aquosa (1 = 20) ne Liquore Ammonii sulfurati, neve Ammonio oxalico neve, si Acidum hydrochloricum adjeceris, Aqua hydrosulfurata mutetur; eadem, si Acido nitrico acidulaveris, ne Baryo nitrico turbetur, Argento nitrico admixto tantummodo opalescat.

Salis *grammatis 2,35* ardore prorsus ad carbonem redactis, residuum sic effectum cum Aqua coctum liquorem alcalinum praebeat. Qui liquor filtratus ad neutralisandum ne minus quam *centimetros cubicos 19,6* Liquoris Acidi normalis requirat, id quot minime *partibus nonaginta octo* Kalii tartarici ($C_4H_4K_2O_6 + {}^1/_2 H_2O$) in *centum* respondet.

Kamala.

Mallotus Philippinensis *Mueller.*

Indumentum fructuum deterendo exceptum. Pulvis laxus, coloris e fusco rubri, odoris expers, quem ope microscopii contemplanti e glandulis inaequaliter globosis constare apparet, quae quadraginta ad sexaginta cellulas continent radiate dispositas, clavatas. Glandulis adhaerent pili fasciculati crassi, coloris expertes.

Kamala cum Aqua cocta, hanc colore e subflavo pallente inficit; liquor filtratus Liquore Ferri sesquichlorati addito colorem fuscum praebet.

Kamala, cum Liquore Alkali diluto vel Aethere vel Chloroformio conquassata, his colorem rubrum inducit.

Ad cinerem combusta residui ne relinquat plus quam *decem* ex *centum partibus.*

Kino.

Pterocarpus Marsupium *Roxb.*

Succus siccatus constans e frustis irregularibus, coloris intense rubri, friabilibus, saporis fortiter constringentis. Frusta tenuiora, coloris coccinei, nitida.

Kino in Spiritu prorsus, in Aqua frigida paullum solubile, in Aethere non solubile.

Kino in Aqua fervida solutum liquorem turbidum

sanguineum praebet, qui refrigeratus et filtratus Liquore Ferri sesquichlorati addito colorem intense viridem trahit.

○ Kreosotum.

Liquor oleaceus, neutralis, limpidus, coloris expers vel subflavi vel subfusci, lucem valde refringens, odoris penetrantis, fumidi, in Aquae ebullientis *partibus centum viginti*, in Spiritu absoluto, Aethere, Chloroformio, Acido acetico glaciali, Carboneo sulfurato in quavis proportione solubilis. Plerumque calore 205 ad 220° destillatur, ne frigore 20° quidem rigescit, ponderis specifici 1,06 ad 1,08.

Solutio aquosa saturata cum Aqua bromata commixta sedimentum e rubro fuscum praebet; addito exiguo Liquore Ferri sesquichlorati colorem e griseo viridem vel caeruleum ducit, qui brevi tempore luridus fit.

Kreosoti *volumen unum*, in *volumine triplici* mixtionis ex Glycerini *partibus tribus* et Aquae *parte una* compositae, sit paene non solubile. Idem, cum *volumine aequali* Collodii commixtum, limpidum remaneat, neque in gelatinam vertatur.

Kreosoti *centimetrus cubicus unus* additis Liquoris Natri caustici *centimetris cubicis duobus et dimidio* mixtionem limpidam praebeat, quae neque colorem obscurum ducat nec Aqua ad *centimetros cubicos quinquaginta* diluta turbationem efficiat. *Centimetrus cubicus unus*

Kreosoti cum *centimetris cubicis decem* Solutionis Kali caustici spirituosae (1 = 5) commixtus, nonnullis horis circumactis ad massam crystallinam rigescat. *Centimetrus cubicus unus* Kreosoti cum *centimetris cubicis duobus* Benzini Petrolei commixtus liquorem limpidum praebeat. Quem liquorem si cum *centimetris cubicis duobus* Aquae Barytae conquassaveris, strata duo oriantur, quorum superior ne colorem caeruleum, neve inferior rubrum trahat.

Caute, in vasis bene clausis, servetur.

Lactucarium.

Lactuca virosa *Linn.*

Succus lacteus siccatus.

Massae e flavo fuscae vel rubro fuscae, intus albidae, difficulter friabiles, odoris peculiariter narcotici, saporis amari.

Lactucarium cum Aqua coctum mollescit; liquor limpidus, quem filtrando effeceris, frigore turbatur, sed Spiritu vel Liquore Ammonii caustici denuo limpidatur. In solutione ammoniacali affuso Liquore Calcii sulfurici sedimentum album copiosum subsidit; solutio spirituosa Ferro sesquichlorato non mutatur.

In cinerem redactum residui ne plus quam *decem* ex *partibus centum* relinquat.

Caute servetur.

Lichen Islandicus.

Cetraria Islandica *Achar.*

Totus thallus foliaceus, circiter *millimetrum dimidium* crassus, in lacinias latiores sive angustiores divisus. Laciniae ciliatae aut canalium instar volutae aut crispae. Cujus facies coloris albidi vel grisei, maculis albis depressis praedita.

Decoctum e Lichene Aquae *pondere vicies* tanto majore paratum, si refrigeratum erit, gelatinam rigentem saporis amari efficiat.

Lignum Guajaci.

Guajacum officinale *Linn.*

Lignum, praesertim duramen, ponderosum, compactum, durum, non recte fissile. Duramen coloris e flavo fusci, alburnum non crassius quam *centimetros duos*, coloris subviridis.

Fervefactum odorem aromaticum Resinae Benzoë similem spargit; Spiritu humectatum, si Liquorem Ferri sesquichlorati instillaveris, per breve tempus colorem ducit caeruleo viridem.

Lignum Quassiae.

Quassia amara *Linn.* et **Picraena excelsa** *Lindl.*

Alterius speciei lignum ad *centimetros octo* crassum, albidum, leve, in sectione transversa circulos annuos tenues radiosque medullares praebet. Lignum saepe Cortice coloris albidi grisei, non crassiore quam *millimetros duo* laxo tectum est.

Alterius speciei lignum grandius ad *decimetros tres* crassum, coloris subflavescentis, in sectione transversa circulos annuos radiosque medullares praebet. Cortex coloris e nigro fusci, ad *millimetros decem* crassus; cujus fractura est fibrosa.

Utriusque lignum est facile ad findendum, saporis puri et continenter amari.

Lignum Santali rubrum.

Pterocarpus santalinus *Linn. fil.*

Lignum compactum, durum, coloris intense e rubro fusci, et odoris et saporis paene expers, Aqua ponderosius. Lignum non Aquae sed Spiritui colorem rubrum ex substantia resinosa orientem, inducit.

Lignum Sassafras.

Sassafras officinalis *Nees.*

Lignum radicis plerumque dissectum saepe adhaerente cortice e rubro fusco. Lignum coloris subfusci vel subrubri, leve, spongiosum, facile ad findendum, in sectione transversa circulos annuos, *millimetros duo* ad *quattuor* latos et radios medullares permultos in ordine densa positos praebet.

Lignum Sassafras est odoris peculiariter aromatici, saporis subdulcis.

Lignum trunci, aromate fere omnino carens, rejiciendum est.

Linimentum ammoniatum.

Liquoris Ammonii caustici *partem unam*.....1
et
Olei Sesami *partes quattuor*.....4
agitando misce, donec
linimentum aequabile factum erit.

Linimentum Calcariae.

Aquae Calcariae

et

Olei Sesami singulorum *partes aequales*

agitando misce, donec linimentum aequabile factum erit.

Linimentum saponato-camphoratum.

Opodeldoc.

Saponis kalini *partibus decem*.....10

in

Aquae *partibus quindecim*.....15

solutis et cum

Liquoris Ammonii caustici *partibus duabus*....2

commixtis

liquorem ex

Spiritus *partibus septuaginta*.....70

Camphorae depuratae *partibus duabus*.....2

Olei Menthae *parte una*.....1

paratum adde et filtra.

Sit liquor limpidus, coloris subflavi.

In vasis bene clausis servetur.

Linimentum Scopoliae.

Extracti Scopoliae *partes quattuor*.....4
Spiritus diluti *partes quindecim*.....15
Camphorae depuratae *partem unam*.....1

Camphoram in aliquot parte Spiritus solve, Extractum in reliqua parte Spiritus contere. Liquores sic effectos commisce et filtra.

Caute, in vasis bene clausis, servetur.

Liquor Ammonii acetici.

Liquoris Ammonii caustici *partem unam*.....1

cum

Acidi acetici *parte una*.....1

commixtam in patina porcellanica paullum temporis continenter coque. Quem liquorem refrigeratum Liquore Ammonii caustici neutralisa, tum filtratum tanta quantitate Aquae dilue, ut totius liquoris pondus sit

Partium trium.....3

Liquor limpidus, coloris expers, reactionis neutralis vel acidulae, odoris non empyreumatici, ponderis specifici circiter 1,033.

Cum Liquore Natri caustici fervefactum Ammonium emittit; Acido sulfurico addito fervefactum Acidum aceticum exhalat.

Liquor Ammonii acetici in balneo aquae evaporatus nullo residuo nisi perpaullum remanente avolet; ne Aqua hydrosulfurata, neve Baryo nitrico mutetur, si Acido nitrico acidulaveris, Argento nitrico addito tantummodo opalescat.

Liquoris *centimetri cubici decem* cum Acidi sulfurici diluti *centimetris cubicis quinque* commixti Solutionis Kalii permanganici *centimetrum cubicum unum* ne intra duodecimam partem horae decolorent.

Liquoris *centimetris cubicis decem* cum *centimetris cubicis quinque* Acidi hydrochlorici in balneo aquae evaporando siccatus residuum album, neutrale pondere *grammatum* circiter *1,1* remaneat, id quod *partibus quindecim* Ammonii acetici [$C_2H_3(NH_4)O_2$] in Liquoris *partibus centum* respondet.

Liquor Ferri citrici oxydati.

Liquoris Ferri sulfurici oxydati *partes octoginta quattuor*.....**84**

in

Aquae *partibus mille*.....**1000**

dilutas adde

Liquoris Ammonii caustici *partibus octoginta quattuor*.....**84**

Aquae *partibus ducentis*.....**200**

dilutis.

Sedimentum in telam linteam collectum ita sepone, ut liquor defluat.

Idem cum

Aquae *partibus mille*.....**1000**

commisce.

Sedimentum iterum in telam linteam ita sepone, ut liquor defluat. Eandem operationem saepius repete, quoad liquor defluens addito Baryo nitrico opalescere paene desierit.

Sedimentum adhuc humidum in patinam porcellanicam immissum

Acidi citrici *partibus triginta*.....**30**

in balneo aquae agitando calore 60° non excedente solve et evapora, ut totius liquoris pondus sit

Partium centum.....**100**

Liquor limpidus, coloris intense fusci, reactionis acidae, ponderis specifici 1,26.

Liquor Ferri citrici oxydati Aqua dilutus, si exiguum Acidum hydrochloricum addideris, Kalio ferrocyanato adjecto, sedimentum intense caeruleum efficit.

Liquor Ferri citrici oxydati, Liquore Ammonii caustici in excessu addito, ne sedimentum efficiat; cum *volumine duplici* Liquoris Kali caustici coctus, ne odorem Ammonii exhalat, cujus liquoris filtrati aliquot pars Acido acetico saturata, ne longiore quidem temporis spatio interjecto, sedimentum crystallinum efficiat. Liquor cum *volumine duplici* Aquae dilutus, exiguo Acido nitrico addito, Baryo

nitrico dumtaxat turbetur.

Liquore in strata tenuia dilatato et leni calore evaporato ex *partibus centum* circiter *quadraginta quattuor* residui remaneant. Quod residuum candefactum Ferri oxydati *partes undecim* relinquat.

○ Liquor Ferri sesquichlorati.

Ferro sesquichlorato
in
Aquae *partibus* circiter *aequalibus*
soluto
Aquae tantum
adjice, ut liquoris pondus specificum sit 1,280 ad 1,282.

Liquor limpidus, intense e flavo fuscus; ad reagentia se habeat sicut sub Ferro sesquichlorato dictum est.

Grammata quinque Liquoris Ferri sesquichlorati Aqua diluta, et Liquore Ammonii caustici abunde addito, cocta sedimentum dent, quod elutum, tum candefactum *grammatum 0,71* ad *0,72* sit, id quod in *centum partibus decem* Ferri vel *viginta novem* Ferri sesquichlorati (Fe_2Cl_6) respondet.

Liquor Ferri sulfurici oxydati.

Ferri sulfurici *partes octoginta*.....**80**
Aquae *partes quadraginta*.....**40**
Acidi sulfurici *partes quindecim*.....**15**
Acidi nitrici *partes duodecim*.....**12**

in lagenam vitream immissas in balneo aquae ferveface, quoad liquor fuscus et limpidus factus erit neque jam gutta ejus, si Aqua dilueris et Kalio ferricyanato temperaveris, colorem caeruleum traxerit. Quo facto solutionem in patina porcellanica, quam pependeris, adeo evapora, ut *partes centum* remaneant. Quod residuum, in exigua parte Aquae resolutum, iterum evapora. Deinde resolvere et evaporare perge, quoad in liquore fervido Acidum nitricum odore dignoscere jam non possis. Postremo liquoris pondus ad *partes centum sexaginta* redige.

Liquor limpidus, coloris e subfusco flavi, paullum spissescens, ponderis specifici 1,428 ad 1,430.

Liquor Aqua dilutus, si Baryum nitricum adjeceris, sedimentum album, sin Kalium ferrocyanatum sedimentum intense caeruleum demittit.

Liquor Aqua dilutus (1 = 10), si Kalium ferricyanatum addideris, colorem caeruleum ne ducat, sin Argentum nitricum tantummodo opalescat. Liquore Aqua diluto et cum *volumine aequali* Acidi sulfurici commixto, si cum Solutione Ferri sulfurici saturata per strata disposueris, zona intermedia subfusca ne oriatur. Liquore Aqua

diluto et cum Liquore Ammonii caustici in excessu addito fervefacto, si filtraveris, liquor coloris expers efficiatur, qui ne Liquore Ammonii sulfurati, neve, si Acido hydrochlorico diluto acidulaveris, Aqua hydrosulfurata mutetur, neve evaporatus tum candefactus ullum residuum relinquat nisi exiguum.

Liquoris *grammatis quinque* Aqua dilutis et cum Liquore Ammonii caustici in excessu addito coctis sedimentum efficiatur, quod elutum et candefactum sit *grammatum* circiter, *0,71* ad *0,72*, id quod *partibus* circiter *triginta sex* Ferri sulfurici oxydati $Fe_2(SO_4)_3$ vel *decem* Ferri (F) in *centum partibus* respondet.

Liquor Guttae Perchae.

Guttae Perchae in frusta parva et tenuia dissectae *partem unam*.....**1**
Chloroformii *partes decem*.....**10**
Plumbi carbonici *partem unam*.....**1**

Guttam Percham in *partibus septem* Chloroformii in vase clauso conquassando solve. Cui solutioni adde Plumbum carbonicum antea cum *reliquis partibus* Chloroformii commixtum. Quam mixtionem per aliquot dies saepius agitando sepone, tum liquorem limpidum superstantem decantha.

Liquor limpidus, coloris expers; in strata tenuia

dilatatus, Chloroformio exhalato, cuticulam elasticam pellucidam relinquat.

Caute, in vasis parvis bene clausis, servetur.

○ Liquor Kalii arsenicosi.

Liquor arsenicalis Fowleri.

Acidi arsenicosi pulverati.....**1,**
Kalii bicarbonici.....**1**
singulorum *partem unam*
cum
Aquae *partibus decem*.....**10**
commixtas in lagena vitrea ferveface, donec Acidum arsenicosum prorsus solutum erit. Solutioni refrigeratae adjice
Tincturae Lavandulae compositae *partes tres*..**3**
et tantum Aquae, ut totius liquoris pondus sit
Partium centum.....**100**
tum per dies octo sepone et filtra.

Liquor limpidus vel subturbidus, coloris e rubro flavi, odoris aromatici, reactionis peralcalinae.

Liquoris *grammata quinque, grammatis viginti* Aquae, *grammate uno* Kalii bicarbonici, *paucis guttis* Solutionis Amyli temperata, Liquoris Jodi decinormalis *centimetros cubicos decem* requirant, ut color caeruleus constans oriatur, id quod *parti uni* Acidi arsenicosi (As_2O_3) in *partibus centum* respondet.

Cautissime servetur neque in longum.

○ Liquor Plumbi subacetici.

Plumbi acetici *partes sexaginta*.....**60**

cum

Plumbi oxydati subtilissimi *partibus viginti*..**20**

contritas

Aquae *partibus decem*.....**10**

additis, in balneo aquae ferveface, quoad mixtionis color primo subflavus in albidum vel subrubro albidum abierit.

Quam mixtionem,

Aquae *partibus centum quinquaginta*.....**150**

adjectis, sepone, donec resederit, denique decantha. Liquorem limpidum Aqua dilue, ut pondus specificum 1,23 ad 1,24 sit.

Liquor limpidus, coloris expers, reactionis alcalinae, Acido carbonico albide turbetur.

Liquor cum Ferro sesquichlorato commixtus sedimento albo secedente, colorem intense rubrum trahit.

Si Aqua hydrosulfurata prorsus praecipitaveris, liquor filtratus et evaporatus ne ullum residuum relinquat.

Liquoris *centimetri cubici decem guttis decem* Acidi acetici temperati addito Kalio ferrocyanato sedimentum pure album demittant.

Caute, in vasis bene clausis, servetur.

Liquor Plumbi subacetici dilutus.

Aqua Goulardi.

Liquoris Plumbi subacetici *partes duas*.....2

et

Aquae *partes nonaginta octo*.....98

misce.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Lithium carbonicum.

Pulvis albus, levis, alcalinus, calore liquescens, in Aquae *partibus centum quinquaginta* solubilis, in Spiritu non item.

Sal in Acido nitrico effervescens plane solvitur, quae solutio flammam colore coccineo inficit.

Solutio aquosa (1 = 50), ope Acidi hydrochlorici diluti effecta ne Aqua hydrosulfurata mutetur, neve Liquore Ammonii caustici in excessu addito turbetur. Quae solutio ammoniacalis Liquore Ammonii sulfurati, aut Ammonio oxalico ne coloretur neve turbetur. Solutio aquosa (1 = 50) ope Acidi nitrici diluti parata, ne Argento, neve Baryo nitricis turbetur.

Grammata 0,2 Lithii carbonici, in *centimetro cubico uno* Acidi hydrochlorici solutum et evaporando siccatum, refrigeratione facta, si Spiritus *grammata duo et dimidium* addideris, limpide solvatur excepto residuo perpaullo.

Lycopodium.

Lycopodium clavatum *Linn.* aliaeque **Lycopodii** species.

Pulvis ex Sporis constans, coloris pallide flavi, levis, subtilis, odoris atque saporis expers. Lycopodium cum Aqua conquassatum superficiei innatat; in flammam sparsum leviter crepitans deflagrat. Microscopii ope contemplanti constare apparet ex granis reticulate cotatis, quae tres praebent superficies satis planas, unam convexam.

Quisquiliae Lycopodio ne admixtae inveniantur.

Lycopodium combustum cineris ne plus quam *quinque* ex *partibus centum* relinquat.

○ Magnesia usta.

Pulvis levis, albus, subtilis, reactionis leviter alcalinae, in Aqua fere insolubilis.

Magnesia in Acido sulfurico diluto soluta, si Ammonio chlorato temperaveris et Liquore Ammonii caustici in excessu saturaveris, addito Natrio phosphorico sedimentum album crystallinum praebet.

Grammata 0,2 Magnesiae ustae, cum *centimetris cubicis decem* Aquae ad ebullitionem fervefacta, si refrigerata in *centimetros cubicos quinque* Acidi hydrochlorici infuderis, ne distincte gasum emittant. Liquor sic effectus Aqua hydrosulfurata ne mutetur, neve, si Liquore Ammonii

caustici saturaveris, Liquore Ammonii sulfurati, aut Ammonio oxalico turbetur nisi perpaullum. Solutio aquosa (1 = 5) ope Acidi nitrici diluti parata Baryo, aut Argento nitricis tantummodo opalescat.

In vasis bene clausis servetur.

Magnesium carbonicum.

Massae pure albae, levis, facile friabiles vel pulvis albus, laxus, in Aqua vix solubilis, reactionem subalcalinam ei impertiens.

In Acido sulfurico diluto effervescens ad liquorem solvitur, qui, Liquore Ammonii caustici in excessu saturatus, adjectis Ammonio chlorato et *exigua parte* Natrii phosphorici, sedimentum album, crystallinum demittit.

Magnesii carbonici *pars una* cum *partibus viginti* Aquae cocta et filtrata liquorem praebeat, qui exhalatus paullum dumtaxat residui relinquat.

Solutio aquosa (1 = 50) ope Acidi hydrochlorici diluti effecta, ne Aqua hydrosulfurata mutetur, neve, si Liquorem Ammonii caustici abunde admiscueris, Liquore Ammonii sulfurati aut Ammonio oxalico turbetur nisi perpaullum. Solutio aquosa (1 = 50) ope Acidi nitrici diluti parata Argento aut Baryo nitricis tantummodo opalescat.

Magnesium carbonicum candefactum ex *partibus centum partes quinquaginta quinque* ad *sexaginta* pondere amittat.

Magnesium citricum effervescens.

Magnesii carbonici *partes viginti quinque*.....**25**

et

Acidi citrici *partes septuaginta quinque*.....**75**

cum

Aquae *partibus decem*.....**10**

bene mixtas, calore 30° sicca. Id, quod restiterit, in pulverem subtilem redactum exacte commisce cum

Natrii bicarbonici *partibus octoginta quinque*..**85**

Acidi citrici *partibus quadraginta*.....**40**

Sacchari *partibus viginti*.....**20**

Tum mixtionem, Spiritum guttatim instillans et pistilli ope leniter terens, in massam grosse granulosam, grumosam redige, quae leni calore siccata cribrando in pulverem aequabilem, grosse granulosum convertitur.

Pulvis albus, in aëre dilabens, in Aqua, Acidum carbonicum emittens, ad liquorem acidum lente solvitur.

Solutio aquosa (1 = 50) Aqua hydrosulfurata ne mutetur; eadem, si Ammonium chloratum et Liquorem Ammonii caustici abunde admiscueris, Ammonio oxalico addito tantummodo opalescat. Solutio aquosa Acido nitrico acidulata, additis Argento aut Baryo nitricis tantummodo opalescat. Solutio aquosa saturata, additis Kalio acetico et exiguo Acido acetico, ne sedimentum crystallinum efficiat.

In vasis bene clausis servetur.

○ Magnesium sulfuricum.

Crystalla prismatica, parva, coloris expertia, reactionis neutralis, in aëre leviter fatiscentia, saporis refrigerantis, amari, salsi, in *parte aequali* Aquae frigidae, in *0,7* ebullientis solubilia, in Spiritu fere insolubilia.

Solutio aquosa Baryo nitrico admixto sedimentum album efficit, in Acidis non solubile; eadem, addito Natrio phosphorico, si adsunt Ammonium chloratum et Liquor Ammonii caustici sedimentum album, crystallinum demittit.

Sal, si flammae admoveris, hanc colore non continenter flavo inficiat.

Solutio aquosa (1 = 20) Acido sulfurico diluto acidulata ne Aqua hydrosulfurata, neve, si Ammonium chloratum in excessu addideris, Liquore Ammonii sulfurati turbetur.

Solutio aquosa (1 = 100) Argento nitrico tantummodo opalescat.

Manganum hyperoxydatum.

Frusta crystallina vel compacta, ponderosa, coloris e griseo nigri vel pulvis, colorem remittens; cum Acido hydrochlorico coctus Chlorum emittens.

Manganum hyperoxydatum pulveratum cum Kali caustico et Kalio nitrico candefactum massam coloris viridis efficit.

Manganum hyperoxydatum Acido nitrico diluto superfusum, ne effervescat.

Pulveris *grammatis quinque* cum Acidi hydrochlorici et Aquae singulorum *centimetris cubicis quindecim* et Ferri sulfurici *grammatis undeviginti* coctis, liquor, quem filtrando effeceris, refrigeratus, addita Solutione Kalii ferricyanati recenter parata, ne colorem caeruleum trahat, id quod minime *partibus sexaginta* Manganii hyperoxydati (MnO_2) in *partibus centum* respondet.

Manna.

Fraxinus Ornus *Linn.*

Succus e trunco insecto effectus et ultro siccatus.

Frusta crystallina, granulosa vel rotundate trigona vel plana, canaliculata, coloris subflavescentis, saporis dulcis.

Manna saepe granula praebet, quae massa molli, subfusca, saporis subacris inter se conglutinata sunt.

Mannae *pars una*, cum Spiritus *partibus viginti* cocta, excepto residuo perpaullo solvatur, quae solutio refrigerata crystalla Manniti permulta demittat.

Mel.

Apis mellifica *Linn.*

Recenter collectum praebet liquorem limpidum, spissum, coloris pallide subflavi vel subflavo fusci, odoris peculiaris,

suavis, saporis dulcis, non aciduli, in Aqua, Spiritu diluto solubilem; procedente tempore granulis secedentibus turbatur.

Mel in Aquae *parte quadruplici* limpide vel paene limpide solvatur, quae solutio, addito Argento nitrico aut Baryo nitrico, tantummodo perpaullum turbetur. Mel cum *volumine uno* Aquae commixtum, *voluminibus quinque* Spiritus paullatim additis, ne sedimentum flocculosum neve strata sirupo similia efficiat.

Mel depuratum.

Mellis *partem unam*.....1
cum
Aquae *partibus duabus*.....2
commixtam coque.

Liquorem adhuc calentem per pannum laneum colatum, evaporando in balneo aquae ad spissitudinem sirupi redige et iterum cola.

Liquor limpidus, coloris subfusco flavi, in Aqua limpide solubilis, odoris non empyreumatici, saporis non aciduli, ponderis specifici 1,34.

In vasis bene clausis, loco frigido servetur.

Mentholum.

Crystalla acicularia, coloris expertia, reactionis neutralis, odoris peculiariter penetrantis, saporis primo ustulantis, postea refrigerantis, in Aqua perpaullum solubilia, in Spiritu, Aethere, Chloroformio, Acido acetico glaciali facile solubilia, calore circiter 43° liquescentia.

In balneo aquae fervefactum liquescat, tum plane avolet.

○ Morphinum hydrochloricum.

Acus crystallinae albae, nitoris sericei, saepe fasciculorum instar conjunctae, reactionis neutralis, in aëre persistentes, in Aquae *partibus viginti quinque*, aut in Spiritus *sexaginta quinque* solubiles, in Aethere insolubiles.

Sal Acido nitrico humefactum rubescit, Ferro sesquichlorato humefactum caerulescit.

Solutio aquosa Argento nitrico admixto, sedimentum album praebet, in Acido nitrico diluto non solubile.

In lamina platinea candefactum primo liquescat, tum carbonescat, denique nullo residuo remanente deflagret.

In Acido sulfurico solutum fere non coloretur.

Solutio aquosa Baryo nitrico non turbetur; Liquore Natri caustici temperata sedimentum album in excessu ejus solubile efficiat. Si sedimentum album crystallinum exiguo Liquore Ammonii caustici effectum cum Aethere

conquassaveris et Aetherem superstantem evaporaveris, ne residuum remaneat nisi perpaullum.

Sal calore 100° ponderis circiter *14,5* ex *centum partibus* amittat.

Cautissime servetur.

Morphinum sulfuricum.

Acus crystallinae, coloris expertes vel albae, nitoris sericei, reactionis neutralis, in aëre persistentes, in Aquae *partibus viginti quattuor*, in Spiritus *partibus septingentis* solubiles, in Aethere non solubiles.

Sal Acido nitrico humefactum rubescit; Ferro sesquichlorato humefactum caerulescit. Solutio aquosa addito Baryo nitrico sedimentum album dat, in Acidis non solubile.

Solutio aquosa Acido nitrico diluto acidulata Argento nitrico non turbetur.

Sal calore 100° *partes* circiter *duodecim* ex *centum partibus* amittat.

Ad alia reagentia se habeat sicut sub Morphino hydrochlorico dictum est.

Cautissime servetur.

Moschus.

Moschus moschiferus *Linn.*

Massa grumosa seu paullulum mollis, in folliculis inclusa, coloris nigro fusci vel intense rubro fusci, odoris peculiaris, fortis.

Ope Olei Terebinthinae sub microscopio in stratum tenue expansus Moschus satis aequaliter separatur glebarum instar in assulas glebulasque amorphas, diaphanas, fuscas; sit liber a substantiis alienis.

Centum partes combustae ne plus cineris relinquant quam *octo*.

Mucilago Gummi Arabici.

Gummi Arabici *partem unam*.....1

Aqua fervida celeriter ablutam solve in

Aquae fervidae *partibus duabus*.....2

agitando et calefaciendo tum cola.

Loco frigido servetur neque in longum.

Myrrha.

Balsamodendron Myrrha *Nees.*

Gummi-resina praebet frusta irregularia, inaequabilia, coloris subflavi vel subrubro fusci, intus saepe passim

albidi; per fracturam leviter nitida; odoris aromatici, saporis amari, acris.

Myrrha in Aqua ex parte majore ad liquorem turbidum solvitur; in Spiritu circiter *pars tertia* solvitur. Si solutionem spirituosam evaporaveris et id quod restiterit in Aethere solveris, haec solutio vapore Bromi addito, colorem rubrum aut violaceum ducit.

Natrio-Kalium tartaricum.

Sal Seignetti.

Columellae coloris expertes, pellucidae vel pulvis albus, reactionis neutralis, in Aquae *partibus duabus* solubilis, in Spiritu paene insolubilis.

Sal fervefactum liquescit, tum odorem Sacchari tosti exhalans abit ad massam atram, alcalinam, quae flammae colorem flavum inducit. Solutio aquosa, Acido acetico addito, sedimentum album crystallinum praebet.

Sal cum Liquore Natri caustici calefactum Ammonium ne emittat.

Solutio aquosa (1 = 10) ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati, neve Ammonio oxalico mutetur neve, exiguo Acido nitrico addito, Baryo nitrico turbetur.

Eadem solutio Acido nitrico acidulata Argento nitrico adjecto tantummodo opalescat.

Salis *grammata 1,41*, si ad carbonem reduxeris, Aqua coxeris, filtraveris, liquor efficiatur, qui ad neutralisandum

non minus quam *centimetros cubicos 9,8* Liquoris Acidi normalis requirat, id quod minime *partibus nonaginta octo* Natrio-Kalii tartarici ($C_4H_4KNaO_6 + 4H_2O$) in *centum partibus* respondet.

Natrium aceticum.

Crystalla et coloris et odoris expertia, pellucida, reactionis neutralis vel subalcalinae, in aëre sicco fatiscentia, in *partibus tribus* Aquae frigidae, in *una* ebullientis, in *triginta* Spiritus frigidi, in *duabus* ebullientis solubilia. Crystalla fervefacta primo, aqua inclusa aufugiente, liquescunt, tum ad massam albam, siccam redurescunt, ardore insuper aucto iterum liquescunt.

Sal candefactum residuum relinquat, quod flammam colore flavo inficit; Acido sulfurico superfusum odorem Acidi acetici emittit.

Solutio aquosa (1 = 20) ne Ferro sesquichlorato praecipitetur neve Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati, neve Ammonio oxalico mutetur, neve, exiguo Acido nitrico addito, Baryo nitrico turbetur. Eadem solutio Acido nitrico acidulata Argento nitrico adjecto tantummodo opalescat.

In vasis bene clausis servetur.

Natrium benzoïcum.

Pulvis albus, amorphus vel crystallinus, in Aquae *partibus duabus*, in Spiritus *partibus quinquaginta* solubilis; fervefactus liquescit, tum remanente residuo alcalino, carbonescit.

Sal candefactum residuum relinquat, quod flammam colore flavo inficit; solutio aquosa, admixto Ferro sesquichlorato sedimentum flavo fuscum efficit.

Salis *gramma 0,1*, si ad carbonem reduxeris, in Aquae *centimetris cubicis triginta* solveris, filtraveris, liquor efficiatur, qui Acido nitrico acidulatus, Argento nitrico adjecto tantummodo opalescat. Sal in Acido sulfurico solutum ne coloretur.

Solutio aquosa (1 = 20) reactionem acidulatam praebeat et Baryo nitrico ne turbetur. Eadem solutio, si sedimentum Acido nitrico expulsum in Spiritu solveris, Argento nitrico addito tantummodo opalescat.

In vasis bene clausis servetur.

○ Natrium bicarbonicum.

Crustae crystallinae albae vel pulvis crystallinus albus, reactionis subalcalinae, in aëre persistens, in Aquae *partibus quattuordecim* solubilis.

Sal fervefactum flammam colore flavo inficit; in Acidis effervescens solvitur.

Sal candefactum flammam colore flavo inficiat, quae flamma per vitrum caeruleum contemplanti rubra non videatur nisi ad tempus.

Solutio aquosa (1 = 20) cum Liquore Natri caustici fervefacta Ammonium ne emittat; eadem ne Liquore Ammonii sulfurati neve Ammonio oxalico mutetur. Eadem solutio, Acido sulfurico diluto acidulata, Aqua hydrosulfurata ne mutetur, neve Solutionem Jodi decolorat. Solutio, Acido nitrico acidulata, Baryo nitrico addito, tantummodo opalescat. Solutio aquosa (1 = 50), Acido acetico acidulata, Argento nitrico, adjecto, tantummodo opalescat.

Salis *grammata duo*, in Aquae *centimetris cubicis triginta* soluta, Liquoris Hydrargyri bichlorati *centimetris cubicis sex* additis, intra vigesimam horae partem tantummodo turbationem albam praebeat, neque vero sedimentum e rubro fuscum demittat.

Natrium boricum.

Borax.

Crystalla pellucida, coloris expertia, reactionis leviter alcalinae, in aëre leviter fatiscentia, in *partibus quindecim* Aquae frigidae, in *dimidia* ebullientis solubilia. Crystalla fervefacta primo, aqua inclusa aufugiente, liquescunt et intumescunt, tum ad massam albam, laxam abeunt, ardore

insuper aucto iterum liquescens in massam albam vitream convertuntur.

Sal candefactum flammam colore flavo inficit; solutio aquosa, exiguo Acido hydrochlorico temperata, chartam exploratoriam luteam colore fusco inficit.

Solutio aquosa (1 = 20) ne Natrio carbonico, neve Aqua hydrosulfurata mutetur neve, Acidis adjectis effervescat.

Solutio aquosa (1 = 50) Acido nitrico acidulata Baryo nitrico ne turbetur, Argento nitrico admixto tantummodo opalescat.

Natrium bromatum.

Pulvis albus, crystallinus, perpaullum humescens, in Aquae *partibus 1,2*, in Spiritus *partibus decem* solubilis.

Sal candefactum flammam colore flavo inficit; solutio aquosa cum Aqua chlorata mixta, colorem e flavo fuscum ducit.

Sal candefactum, si per vitrum caeruleum spectes flammam colore e violaceo rubro ne inficiat nisi ad tempus.

Solutio aquosa (1 = 5) chartam exploratoriam rubram ne statim mutet neve Aqua hydrosulfurata mutetur, neve Baryo nitrico turbetur. Eadem solutio, cum *gutta una* Acidi sulfurici diluti mixta et cum exiguo Chloroformio conquassata, hoc ne ullo colore inficiat; cum Solutione

Amyli commixta et cum *exigua copia* Aquae chloratae per strata disjuncta, zonam intermediam caeruleam ne efficiat.

Centimetri cubici decem solutionis, e *grammatis duobus* Natrii bromati bene siccati et *centimetris cubicis centum* Aquae compositae, si *nonnullas guttas* Solutionis Kalii chromici adjeceris, ne plus quam *centimetros cubicos 19,7* Liquoris Argenti nitrici decinormalis consumant, ut constanter rubefiant.

In vasis bene clausis servetur.

Natrium carbonicum.

Crystalla coloris expertia, diaphana, aëre fatiscentia, reactionis peralcalinae, in Aquae frigidae *partibus 1,8*, ebullientis *0,3* solubilia.

Sal candefactum flammam colore flavo inficit; cum Acidis commixtum effervescens solvitur.

Solutio aquosa (1 = 20) Acido hydrochlorico acidulata, si Aqua hydrosulfurata abunde temperaveris ne mutetur; quae mixtio, si in vase bene clauso brevi tempore calefeceris, colorem flavum ne ducat. Eadem solutio, Acido sulfurico diluto saturata, Solutionem Jodi ne decoloret.

Solutio aquosa (1 = 30) Liquore Ammonii sulfurati ne turbetur; Acido nitrico acidulata, Baryo aut Argento nitricis additis tantummodo opalescat.

Solutione ope Acidi sulfurici diluti parata cum *volumine aequali* Acidi sulfurici commixta et Solutione Ferri

sulfurici saturata per strata disjuncta, zona intermedia subfusca ne oriatur.

Salis *grammata duo* ad neutralisandum *centimetros cubicos 13,7* ad *14,0* Liquoris Acidi normalis consumant.

In vasis bene clausis servetur.

Natrium carbonicum crudum.

Crystalla grandia, coloris expertia vel massae crystallinae, reactionis peralcalinae, aëre fatiscentes, in Aqua facile solubiles.

Fervefactum flammam colore flavo inficit; Acidis superfusum effervescens solvitur.

Salis *grammata duo* ad neutralisandum non minus quam *centimetros cubicos tredecim* Liquoris Acidi normalis consumant.

Natrium chloratum.

Crystalla alba, cubica vel pulvis crystallinus, reactionis neutralis, saporis pure salsi, in aëre persistens, in Aquae *partibus 2,8*, in Spiritu paene non solubilis.

Fervefactum flammam colore flavo inficit; solutio aquosa, addito Argento nitrico, sedimentum praebet album, in Acido nitrico non solubile.

Solutio aquosa (1 = 20) ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati mutetur, neve Baryo nitrico, neve Natrio carbonico, neve Ammonio oxalico turbetur. Solutio aquosa saturata, cum Aqua chlorata commixta et cum Chloroformio conquassata, hoc ne colore subfusco vel violaceo inficiat.

Natrium jodatum.

Pulvis crystallinus, albus, aëre humescens, saporis amari, salsi; in Aquae *partibus 0,6*, in Spiritus *partibus tribus* solubilis.

Fervefactum flammam colore flavo inficit; solutio aquosa, cum Aqua chlorata commixta et cum Chloroformio conquassata, huic colorem violaceum inducit.

Sal fervefactum, si per vitrum caeruleum spectes, flammam colore e violaceo rubro ne inficiat nisi ad tempus.

Sal in Aquae *parte quadruplici* solutum chartam exploratoriam rubram ne statim mutet. Solutio aquosa (1 = 20) Aqua hydrosulfurata ne mutetur, neve Baryo nitrico statim turbetur. Eadem solutio, Solutione Amyli temperata, additis *guttis nonnullis* Acidi sulfurici diluti, colorem caeruleum ne statim praebeat.

Gramma unum Natrii jodati bene siccati in *centimetris cubicis duobus* Aquae solutum ne minus quam *centimetros cubicos 32,6* Liquoris Hydrargyri bichlorati decinormalis consumat, ut constanter rubefiat, id quod minime

nonaginta octo Natrii jodati (NaJ) in *centum partibus* respondet.

In vasis bene clausis servetur.

Natrium phosphoricum.

Crystalla coloris expertia, diaphana, aëre sicco fatiscentia, reactionis alcalinae, in Aquae frigidae *partibus* circiter *sex*, ebullientis *duabus* solubilia, calore 40° liquescentia.

Fervefactum flammam colore flavo inficit; solutio aquosa Argento nitrico addito sedimentum efficit flavum, et in Acido nitrico et in Liquore Ammonii caustici solubile.

Sal fervefactum flammam colore flavo inficit, quae per vitrum caeruleum contemplanti violaceo rubra non videatur nisi per breve tempus.

Solutio aquosa (1 = 10) Liquore Ammonii sulfurati ne turbetur, neve, Acido hydrochlorico acidulata, Aqua hydrosulfurata mutetur. Eadem solutio, addito Acido nitrico ne effervescat; quae solutio nitrica, additis Baryo aut Argento nitricis tantummodo opalescat.

Salis *gramma unum* candefactum residui albi *grammata 0,37* ad *0,38* relinquat.

In vasis bene clausis servetur.

○ Natrium salicylicum.

Crystalla squamosa, alba, odoris expertia vel pulvis crystallinus, saporis e dulci salsi, subacris, in Aquae *parte una*, in Spiritus *partibus sex* solubilia.

Solutio aquosa Acidis admixtis crystalla alba, in Aethere plane solubilia, demittit. Solutio maxime diluta, Ferro sesquichlorato admixto, colorem violaceum ducit. Sal fervefactum residuum relinquit, quod flammam colore flavo inficit.

In Acido sulfurico solutum ne coloretur nisi perpaullum.

Solutio aquosa (1 = 2) sit coloris expers vel leviter subrubri; Acido hydrochlorico addito ne effervescat.

Solutio aquosa (1 = 20) Baryo nitrico ne mutetur. Eadem solutio, si Acidum nitricum admiscueris et crystalla inde expulsa in Spiritu resolveris, addito Argento nitrico tantummodo opalescat.

Salis *gramma unum* candefactum residuum circiter *grammata 0,32* relinquens, deflagret.

○ Natrium sulfuricum.

Crystalla coloris expertia, pellucida, reactionis neutralis, saporis salsi, subamari, refrigerantis, in aëre sicco fatiscentia, in Aquae frigidae *partibus tribus*, in *0,3* Aquae calore 33°, in *0,4* Aquae 100° solubilia.

Fervefactum flammam colore flavo inficit; solutio

aquosa Baryo nitrico addito sedimentum praebet album, in Acidis non solubile.

Solutio aquosa (1=20) ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati mutetur; eadem, admixto Argento nitrico tantummodo opalescat.

Sal cum Liquore Natri caustici fervefactum ne Ammonium emittat; solutio Acido sulfurico effecta cum Solutione Ferri sulfurici saturata per strata disjuncta, zona intermedia subfusca ne praebeat.

In vasis bene clausis servetur.

Natrum causticum.

Frusta vel bacilla cylindrica, sicca, alba, fortiter caustica, in aëre dilabentia, per fracturam crystallina, in Aqua facile solubilia.

Natrum causticum fervefactum flammam colore flavo inficit.

Solutio aquosa, Acido tartarico in excessu admixto, ne mutetur.

Natrum causticum in *parte duplici* Aquae solutum et cum *parte quadruplici* Spiritus mixtum, perpaullum dumtaxat turbationem praebeat neque sedimentum sirupo simile efficiat.

Gramma unum Natri caustici in *grammatis duobus* Aquae solutum cum *centimetris cubicis quindecim* Aquae Calcariae coctum, deinde filtratum liquorem praebeat, qui,

Acido hydrochlorico abunde suppetenti infusus, non effervescat.

Solutio aquosa (1=100) Acido nitrico saturata, additis Baryo aut Argento nitricis tantummodo paullum turbetur. Solutio aquosa (1=20) ope Acidi sulfurici diluti parata, *volumine dimidio* Acidi sulfurici et Solutione Ferri sulfurici saturata adjectis, ne zonam intermediam subfuscam praebeat.

Caute, in vasis bene clausis, servetur.

Oleum Amygdalarum.

Prunus Amygdalus *Stokes.*

Oleum pingue ex seminibus frigide expressum, limpidum, coloris clare flavi, odoris paene expers, saporis mitis, ponderis specifici 0,915 ad 0,920.

Oleum ne sit rancidum neve frigore 10° turbetur.

Partibus Olei *quinque* cum mixtione, quae constat ex *partibus duabus* Aquae et *partibus tribus* Acidi nitrici fumantis, vehementer conquassatis, fiat mixtio albida, non fusca aut rubra, quae nonnullis horis peractis in massam solidam albam et in liquorem coloris fere expertem discedat.

Olei *guttis* circiter *decem* cum *guttis nonnullis* Acidi sulfurici in patina porcellanica commixtis, ne color e flavo fuscus oriatur.

Oleum Aurantii Corticis.

Citrus Bigaradia *Duhamel.*

Oleum aethereum e corticibus fructuum recentibus paratum, coloris expers vel subflavi, odoris saporisque peculiariter aromatici, subamari, in *parte aequali* Spiritus non limpide solubile, cum Jodo mixtum vehementer detonat, ponderis specifici 0,85 ad 0,86.

Oleum aethereum ex corticibus fructuum recentibus, quos Citrus nobilis Risso offert, expressum, si odor, sapor, aliae qualitates supra dictis respondeant, loco Olei Aurantii Corticis adhibere licet.

Oleum Aurantii Florum.

Variae **Citri** species.

Oleum aethereum e floribus recentibus Aquae adjecta destillatum, subfusco flavum, reactionis neutralis, odoris suavissimi, in *partibus uno* ad *duabus* Spiritus limpide solubile, ponderis specifici 0,86 ad 0,88.

Olei *exigua pars* in tubo exploratorio cum *aequali quantitate* Spiritus superposita et leviter versato, colore belle violaceo fluorescit.

○ Oleum Cacao.

Theobroma Cacao *Linn.*

Sebum expressum ex seminibus decorticatis, odoris leviter peculiaris, saporis mitis, coloris albi vel subflavescentis, calore 15° fragile, circiter 30 ad 35° ad liquorem limpidum, neutralem, non rancidum liquescens, ponderis specifici 0,94 ad 0,95. In Aetheris *partibus tribus* limpide solubile.

Chartam bibulam Oleo imbutam, incenderis tum exstinxeris, odor seborum animalium combustorum non oriatur.

Oleum Cajeputi.

Melaleuca Leucadendron *Linn.*

Oleum aethereum e foliis, Aqua adjecta destillatum, neutrale, coloris plerumque pallide flavi vel subviridis, odoris penetrantis, Camphorae similis, cum Spiritu quavis proportione limpide misceri potest. Ponderis specifici 0,91 ad 0,93.

Calore 50° Jodi pulverati *grammate uno* Olei Cajeputi *centimetris cubicis quinque* sensim admixto, mixtio refrigerata ad pultem crystallinam rigescit.

Olei *centimetrus cubicus unus*, cum *centimetris cubicis viginti* Aquae, Acidi acetici *gutta una* acidulatae, conquassatus, si *guttam unam* Solutionis Kalii ferrocyanati instillaveris, ne coloretur.

Oleum Caryophyllorum.

Eugenia caryophyllata *Thunb.*

Oleum aethereum e Caryophyllis ope Aquae destillatum, limpidum, coloris subflavi vel subfusci, cum Spiritu quavis proportione limpide misceri potest. Ponderis specifici 1,04 ad 1,06.

Olei *guttae quinque* cum Aquae Calcariae *centimetris cubicis decem* vehementer conquassatae massam crystallinam, mollem, flocculosam efficiunt. Olei *guttae duae* in Spiritus *centimetris cubicis quattuor* solutae, si *guttam unam* Liquoris Ferri sesquichlorati addideris, colorem viridem ducunt. Aquae fervidae *partes centum*, cum Olei *parte una* conquassatae, reactionem neutralem praebeant; quam mixtionem si refrigeraveris et filtraveris, liquor limpidus efficiatur, qui Liquore Ferri sesquichlorati addito, ne ducat colorem caeruleum nisi griseo viridem per breve tempus.

Oleo cum Acido acetico, Aquae *volumine quinquies* tanto majore diluto, conquassato, liquor, quem filtrando effeceris, Aqua sulfurata non mutetur.

Oleum Cinnamomi.

Cinnamomum Cassia *Blume.*

Oleum aethereum e Corticibus Cinnamomi ope Aquae destillatum, limpidum, coloris flavi vel flavo fusci, spisse liquidum, odoris peculiariter aromatici, saporis ustulantis,

subdulcis, reactionis leviter acidae, in Spiritu quavis proportione solubile, ponderis specifici 1,04 ad 1,07.

Olei Cinnamomi *guttae quinque* cum *guttis quinque* Acidi nitrici fumantis conquassatae ad pultem crystallinam rigescunt.

Oleo cum Acido acetico, Aquae *volumine quinquies* tanto majore diluto, conquassato, liquor, quem filtrando effeceris, Aqua hydrosulfurata ne mutetur. Olei *guttae quattuor* in Spiritus *centimetris cubicis decem* solutae, *gutta una* Liquoris Ferri sesquichlorati adjecta, colorem dumtaxat fuscum neque vero viridem caeruleumve trahant.

Oleum Citri.

Oleum Limonis.

Citrus Limonum *Risso.*

Oleum aethereum ex Corticibus fructuum recentibus paratum, coloris e flavido pallentis, odoris peculiariter aromatici, saporis subamari, cum Spiritus *partibus* circiter *septem* limpide misceri potest; cum Jodo commixtum vehementer detonat; ponderis specifici 0,84 ad 0,86.

Oleum Crotonis.

Croton Tiglium *Linn.*

Oleum pingue e seminibus excorticatis expressum, spisse liquidum, coloris flavi vel subfusco flavi, odoris

peculiaris, insuavis, reactionis acidae, in cutem infricatum hanc rubefaciens, saporis initio mitis sed mox valde acris et ustulantis, in Spiritu difficile, in Aethere facile solubile, ponderis specifici 0,94 ad 0,96.

Olei *gutta una* cum *guttis viginti* Acidi sulfurici conquassata mixturam limpidam, intense fuscam efficit.

Si chartam bibulam Oleo imbutam incenderis tum exstinxeris odor seborum animalium combustorum ne oriatur.

Cautissime, in vasis bene clausis, servetur.

Oleum Eucalypti.

Eucalyptus globulus *Labillardière.*

Oleum aethereum e foliis Aqua addito destillatum, limpidum, coloris expers vel pallide flavum, reactionis neutralis, odoris peculiaris, cum Jodo mixtum ne detonans; in Spiritu quavis proportione misceri potest; ponderis specifici 0,900 ad 0,925.

○ Oleum Foeniculi.

Foeniculum capillaceum *Gilib.*

Oleum aethereum e fructibus Aqua adjecta destillatum, coloris expers vel subflavi, odoris peculiariter aromatici, saporis subdulci, in frigore massam albam crystallinam

excernens, postea plane rigescens; cum *parte aequali* Spiritus limpide misceri potest; ponderis specifici circiter 0,96.

○ Oleum Jecoris.

Gadus Morrhua *Linn.* et aliae species **Gadi.**

Oleum pingue ex jecoribus paratum, limpidum, coloris ex flavo pallentis vel aurei, odoris leviter peculiaris, saporis mitis, piscem leniter redolens, ponderis specifici circiter 0,925.

Olei *guttae quinque* cum Acidi sulfurici *gutta una* commixtae colorem e caeruleo violaceum vel violaceo rubrum trahunt.

Oleum ne sit rancidum. Charta exploratoria caerulea Spiritu humectata hoc Oleo dumtaxat perpaullum rubefiat. Oleum, calore 0° per horas tres sepositum, limpidum remaneat neque massam albam, solidam demittat.

Olei *volumen unum* cum *volumine uno* mixtionis e *volumine aequali* Acidi nitrici et Aquae compositae et nonnullis frustulis Cupri raspati commixtum, longiore temporis spatio interjecto remaneat limpidum et liquidum. Oleo cum Acido acetico, Aquae *volumine quinquies* tanto majore diluto, conquassato, liquor, quem filtrando effeceris, Aqua sulfurata ne mutetur.

Oleum Juniperi.

Juniperus communis *Linn.*

Oleum aethereum ex fructibus Aqua adjecta destillando exceptum, limpidum, coloris expers vel pallido flavum; cum Spiritus *partibus decem* leviter turbide, sed cum Carboneo sulfurato limpide misceri potest; ponderis specifici 0,86 ad 0,88.

Oleum Lavandulae.

Lavandula vera *D. C.*

Oleum aethereum e floribus Aqua adjecta destillatum, coloris paene expers vel subflavescens vel viridi flavi, odoris aromatici, saporis amari, cum Spiritus *volumine aequali* limpide misceri potest; ponderis specifici 0,87 ad 0,90.

Oleum Lini.

Linum usitatissimum *Linn.*

Oleum pingue e seminibus frigide expressum, limpidum, coloris flavi, odoris levis, peculiaris, saporis mitis, etiam frigore 10° liquidum, in stratum extenuatum jamjam exsiccescens, in Spiritus fervidi *partibus* circiter *quinque* solubile, ponderis specifici 0,935 ad 0,940.

Chartam bibulam Oleo imbutam incenderis tum exstinxeris, odor seborum animalium combustorum ne oriatur.

Olei *volumen unum* cum *volumine uno* mixtionis e *volumine aequali* Acidi nitrici et Aquae compositae et nonnullis frustulis Cupri raspati commixtum longiore temporis spatio limpidum et liquidum remaneat.

○ Oleum Menthae.

Mentha arvensis *Linn.* var. **piperascens** *Holmes.*

Oleum aethereum e foliis Aqua adjecta destillatum et frigore ab partibus solidis liberatum, limpidum, coloris expers vel subflavescens, odoris peculiariter penetrantis, saporis initio ustulantis, postea refrigerantis, cum Jodo commixtum non fervescit, cum Spiritu quavis proportione limpide misceri potest, ponderis specifici 0,90 ad 0,91.

Oleum Olivarum.

Olea Europaea *Linn.*

Oleum pingue ex sarcocarpio frigore expressum, coloris e flavido pallentis, odoris levis, peculiaris, saporis mitis, non rancidi; calore circiter 10° turbari incipiens, calore 0° ad massam granulosam, unguinosam rigescens; ponderis specifici 0,915 ad 0,920.

Olei *partes quinque*, cum Aquae *partibus duabus* et Acidi nitrici fumantis *tribus* inter se mixtis vehementer conquassatae, mixtionem praebeant albidam, non rubram

fuscamve, quae, pluris horis interjectis, in massam solidam et liquorem vix coloratum discedat.

Olei *grammate uno* in Carbonei sulfurati *grammate uno* soluto deinde cum *grammate uno* mixtionis frigidae ex *voluminibus aequalibus* Acidi sulfurici et Acidi nitrici compositae paulisper conquassato, liquor coloris viridis vel rubri ne efficiatur.

○ Oleum Ricini.

Ricinus communis *Linn.*

Oleum pingue e seminibus excorticatis expressum, limpidum, spissum, coloris subflavescentis, odoris levis, peculiaris, saporis initio mitis, postea leviter acris; calore 0° spissescit vel turbatur, frigore aucto in butyri spissitudinem transit; cum Spiritu absoluto vel Acido acetico glaciali quavis proportione, cum Spiritus *partibus una* ad *tres* limpide misceri potest; ponderis specifici 0,95 ad 0,97.

Grammatis tribus Olei Ricini cum *grammatis tribus* Carbonei sulfurati et *grammatis tribus* Acidi sulfurici per breve tempus conquassatis, mixtio ne ducat colorem e nigro fuscum.

Oleum Rosae.

Variae **Rosae** species.

Oleum aethereum e floribus recentibus Aqua adjecta destillatum, liquorem coloris e flavido pallentis, odoris peculiariter suavis praebens, in quo efficiuntur frigore lamellae crystallinae, pellucidae, calore circiter 12° denuo evanescentes; cum Spiritus *partibus* circiter *centum* limpide misceri potest; ponderis specifici 0,86 ad 0,89.

Oleum Rosmarini.

Rosmarinus officinalis *Linn.*

Oleum aethereum ex Herbis florentibus Aqua adjecta destillatum, coloris expers vel viridi flavi, odoris saporisque Camphorae similis, cum Carbonei sulfurati *parte aequali*, Spiritu quavis proportione limpide misceri potest, ponderis specifici 0,88 ad 0,90.

○ Oleum Sesami.

Sesamum Indicum *D. C.*

Oleum pingue e seminibus expressum, coloris subflavi vel aurei, odoris levis, peculiaris, saporis mitis; frigore 5° ad massam flavo albidam, unguinosam rigescens; ponderis specifici 0,915 ad 0,925.

Centimetris cubicis decem Olei Sesami cum *guttis nonnullis* mixtionis frigidae e *volumine aequali* Acidi sulfurici et Acidi nitrici compositae conquassatis, color intense viridis oritur, qui statim in intense rubrum transit.

Partibus Olei *quinque* cum mixtione, quae constat ex *partibus duabus* Aquae et *partibus tribus* Acidi nitrici fumantis, vehementer conquassatis, fiat mixtio coloris aurantiaci, quae pluris horis peractis in massam granulosam flavo albidam et in liquorem rubro flavum discedat.

Oleum Sinapis aethereum.

Oleum ex seminibus Aqua adjecta destillando paratum, limpidum, coloris expers vel subflavi, odoris acerrimi, cum Spiritu vel Carboneo sulfurato quavis proportione misceri potest; calore circiter 148° ebullit; ponderis specifici 1,016 ad 1,020.

Olei *guttae nonnullae* in Aquam instillatae limpide pessum descendant et intra breve tempus ne colorem albidum ducant.

Solutio spirituosa (1 = 10), exiguo Ferro sesquichlorato addito, ne coloretur.

Caute servetur.

○ Oleum Terebinthinae.

Abiëtinearum species, praecipue **Pini.**

Oleum aethereum e Terebinthinis, quas offerunt Plantae supra dictae, Aqua adjecta destillando paratum, coloris expers vel subflavescentis; in Spiritus *partibus quinque* ad *decem* solubile, calore circiter 160° ebullit; ponderis specifici 0,85 ad 0,87.

Ne sit empyreumatici.

Oleum Terebinthinae rectificatum.

Olei Terebinthinae *partem unam*.....**1**

cum

Aquae Calcariae *partibus sex*.....**6**

conquassatam et, quoad Olei circiter dodrans transierit, destillatum oleosum abstrahe et ope chartae bibulae siccae filtra.

Sit limpidum, coloris expers, reactionis neutralis, in Spiritus *partibus quinque* ad *decem* prorsus solubile; calore circiter 160° ebulliens, ponderis specifici 0,85 ad 0,87.

○ Opium.

Papaver somniferum *Linn.*

Succus lacteus e capsulis insectis paratus et sponte desiccatus. Occurrit plerumque in placentis paullo

compressis, disciformibus aut subglobosis. Placentae recentes sunt molliores, siccatae friabiles, intus coloris fusci, per fracturam subnitentes, odoris narcotici, saporis acris et amari.

Ad usum Opium antea concisum calore 60° non superante exsiccetur et pulveretur. Qui pulvis in *centum partibus* ne plus quam *quadraginta partium* earum, quae sunt in Aqua non solubiles, contineat; ratione infra dicta examinatus in *partibus centum partes decem* ad *duodecim* Morphini praebeat.

Opii pulverati *grammata octo* cum Calcariae hydratae *grammatis tribus et dimidio* et Aquae *centimetris cubicis octoginta* in vase vitreo clauso saepius vehementer conquassando per horas duas macera.

Quo facto mixtionem in telam linteam, quae in filtro deposita est, decantha et, telam ipsam expressando filtra. Liquoris filtrati *centimetros cubicos quinquaginta* cum Spiritus *centimetris cubicis quinque* commixtos in vase clauso conquassa et filtra. Liquoris filtrati *centimetros cubicos quadraginta quattuor* cum Aetheris *centimetris cubicis viginti* et Ammonii chlorati *grammatis duobus et dimidio* commixtos in vase clauso per semihoram vehementer conquassa, tum per horas viginti quattuor sepone. Crystalla, quae ex liquore efficiuntur, in filtrum antea siccatum et pensum collige, Aquae *centimetris cubicis decem* elue et calore 60° non superante sicca. Crystalla refrigerata in filtro eodem Aetheris puri *centimetris cubicis decem* elue, initio leni calore, tum 96 ad 100° per horas

circiter quattuor sicca. Pondus crystallorum sit *grammatum 0,40* ad *0,48*.

Quod Morphinum, cum *partibus centum* Aquae Calcariae conquassatum, nonnullis horis peractis solutionem efficiat flavidam, quae, Aqua chlorata paullatim affusa, colorem constantem e fusco rubrum; Liquore Ferri sesquichlorati admixto, colorem caeruleo viridem ducat.

Caute servetur.

Paraffinum.

Massa microcrystallina, diaphana et coloris et odoris expers, calore circiter 75° ad liquorem limpidum, unguinosum, coloris expertem liquescens, in Aqua, Liquore Natri caustici, Spiritu non solubilis, in Chloroformio solubilis, ponderis specifici 0,91 ad 0,93.

Fervefactum nullo residuo remanente deflagret; Acido sulfurico superfusum, si in balneo aquae saepius conquassando per complures horas calefeceris, ne colorem fuscum trahat nisi perpaullum.

Natrium metallicum, si in Paraffinum liquefactum injeceris, longiore temporis spatio peracto, ne nitorem metallicum amittat. Spiritus, cum Paraffino coctus, ne sit reactionis acidae.

○ Pepsinum saccharatum.

Pepsinum ex tunica mucosa ventriculorum, quos offert Sus Scropha vel Bos Taurus, paratum et cum Saccharo Lactis commixtum.

Pulvis paene albus, reactionis leviter acidae, in Aqua turbide solubilis, quae solutio addito exiguo Acido hydrochlorico limpidior fit.

Pepsinum ne sit odoris insuavis aut ammoniacalis.

Pepsini *grammata 0,25*, in Aquae *grammatis centum quinquaginta* et Acidi hydrochlorici *grammate uno* soluta, *grammata decem* albuminis ovi cocti et contriti, si saepe et vehementer conquassaveris, intra quattuor ad sex horas calore 40° ad liquorem paullum opalescentem solvant.

Phosphorus.

Massa cylindrica alba vel subflava, diaphana, nitoris cerei. Phosphorus sub Aqua calore 44° liquescit, aëre fumat, odorem peculiarem exhalans, in obscuro lucet, diutius aëri expositus vel fervefactus exardescit; in Aqua non solubilis, in Spiritu vix, in Aethere, Oleis sebacicis facilius, in Carboneo sulfurato facillime solubilis.

Phosphorus ne Arsenicum neve Sulfur contineat nisi vestigia eorum.

Cautissime, sub Aqua in vasis epistomiis vitreis munitis et in pyxicula ferrea impositis servetur.

Physostigminum salicylicum.

Eserinum salicylicum.

Acus crystallinae, coloris expertes vel subflavescentes, nitidae, reactionis neutralis, in *partibus centum quinquaginta* Aquae, in *duodecim* Spiritus solubiles. Sal siccum, luci expositum, lentissime, solutio aquosa vel spirituosa autem celeriter colorem subrubrum trahit.

Solutio aquosa, addito Liquore Ferri sesquichlorati, colorem violaceum ducit. Salis *exigua copia* cum Liquore Ammonii caustici fervefacta ad liquorem flavo rubrum solvitur, qui in balneo aquae evaporatus residuum caeruleum vel griseo caeruleum relinquit. Quod residuum in Spiritu solutum liquorem caeruleum efficit, qui Acido acetico saturatus, colorem rubrum ducens fluorescit.

In lamina platinea candefactum nullo residuo remanente, deflagret.

In Acido sulfurico solutum initio ne coloretur, sed postea flavescat.

Cautissime, a luce remotum, servetur.

Pilocarpinum hydrochloricum.

Crystalla alba, reactionis leviter acidae, aëre humescentia, in Aqua aut Spiritu facile solubilia, paullum vero in Aethere aut Chloroformio.

Sal cum exiguo Liquore Natri caustici superfusum guttas oleaceas demittit, quae calore limpide solvuntur et diutius fervefactae odorem Trimethylamini exhalant. Solutio aquosa addito Argento nitrico sedimentum album efficit, in Acido nitrico diluto non solubile.

In lamina platinea candefactum, initio liquescat, tum nullo residuo remanente, deflagret. In Acido sulfurico solutum ne coloretur.

Solutio aquosa Liquore Ammonii caustici ne turbetur.

Cautissime, in vasis bene clausis, servetur.

Pilulae.

Pilulas parandas eo modo para ut substantias inter se optime misceas. Ad Constituentia plerumque Extractum et Pulverem Liquiritiae adhibe, non Radicem Althaeae pulveratam vel Tragacantham nisi necesse sit.

Pilulae sint magnitudinis aequalis, neque minis molles vel siccae aut inter se cohaerentes.

Pilulas plerumque Lycopodio vel Pulvere Liquiritiae consperge.

Pilulae Aloës.

Aloës pulveratae
Saponis medicati singulorum *partes aequales*
mixtas contere cum tanta Aquae copia, ut fiat massa, ex qua pilulae *grammatis* circiter *0,1 pondere* formentur.

Pilulae Aloës et Jalapae.

Aloës pulveratae
Saponis jalapini
Radicis Liquiritiae pulveratae singulorum *partes aequales*
misce ut fiat massa, ex qua pilulae *grammatum* circiter *0,15 pondere* formentur.

Pilulae Aloës et Ferri.

Ferri sulfurici *partes quinque*.....5
calore balnei aquae prorsus exsiccatas et refrigeratas cum
Aloës pulveratae *partibus tribus*.....3
mixtas contere cum tanta Spiritus copia, ut fiat massa, ex qua pilulae *grammatis* circiter *0,1 pondere* formentur.

Pilulae Colocynthidis et Hyoscyami.

Fructus Colocynthidis pulverati *partes decem*..**10,**
Aloës pulveratae *partes viginti*.....**20,**
Radicis Jalapae pulveratae *partes viginti*...**20,**
Extracti Hyoscyami *partes viginti quinque*.....**25,**
Kalii sulfurici *partes tres*.....**3,**
Olei Caryophyllorum *partem unam*.....**1**
mixtas contere cum tanta Spiritus copia, ut fiat massa, ex qua formentur pilulae *grammatum* circiter *0,15 pondere.*

Caute serventur.

Pilulae Ferri carbonici.

Ferri sulfurici *partes quinquaginta*.....**50,**
in
Aquae ebullientis *partibus ducentis*.....**200**
solutas, in lagenam amplam filtra, quae
Natrii bicarbonici *partes triginta quinque*.....**35,**
in
Aquae tepidae *partibus quingentis*.....**500**
limpide solutas, continet.

Quas caute mixtas, in lagena Aqua fervida impleta et leviter clausa sepone.

Liquore, qui sedimento superstat, remoto, lagenam Aqua fervida iterum imple, iterumque liquorem, postquam

subsederit, abstrahe, id quod iteretur, quoad liquor Baryo nitrico vix dum turbetur.

Sedimentum a liquore quam maxime liberatum et in patinam porcellanicam immissum commisce cum

Sacchari pulverati *partibus quattuor*.....**4,**

Kalii carbonici *partibus octo*.....**8,**

Mellis depurati *partibus duodecim*.....**12**

quam mixtionem in balneo aquae celeriter redige ad pondus

Partium quadraginta.....**40.**

Cujus massae e *grammate singulo*, addita parte quam minima Radicis Althaeae pulveratae, forma pilulas *decem*, quae pulvere Corticis Cinnamomi conspergantur.

Pilulae singulae continent Ferri *grammata* circiter *0,025*.

Pilulae Hydrargyri.

Hydrargyri *partes tres*.....**3,**

Sacchari *partes quinque*.....**5,**

Mellis depurati *partem unam*.....**1**

mixtas caute contere, quoad granula Hydrargyri dignosceri jam non potuerint.

Quibus adde

Radicis Liquiritiae pulveratae *partes duas*.....**2**

et contere cum tanto Aquae communis copia, ut

fiat massa, ex qua pilulae *grammatum* circiter *0,2 pondere* formentur.

Pilulae singulae continent Hydrargyri *grammata* circiter *0,05*.

Pilulae Rhei compositae.

Extracti Aloës *partes duas*.....2,
Extracti Rhei *partes sex*.....6,
Resinae Jalapae *partem unam*.....1,
Saponis medicati *partes quattuor*.....4
mixtas contere cum tanta Aquae copia, ut fiat massa, ex qua formentur pilulae *grammatis* circiter *0,1 pondere*.

Quas Pilulas Radice Rhei pulverata consperge.

Pix liquida.

Ex ligno, quod offerunt Abiëtineae, via sicca destillando parata. Liquor spissus, oleosus, e nigro fuscus, aqua gravior; et odoris et saporis peculiaris, empyreumatici.

Aqua cum Pice liquida conquassata est reactionis acidae et, Liquore Ferri sesquichlorati diluto addito per breve tempus colorem viridem ducit.

Pix liquida in Spiritu vel Aethere limpide solvatur; Aqua calida cum Pice conquassata dumtaxat colorem subflavum trahat.

○ Plumbum aceticum.

Crystalla coloris expertia, diaphana vel massae crystallinae albae paullum Acidum aceticum redolentes, in aëre leviter fatiscentes, in Aquae *partibus* circiter *duabus* nec non in Spiritu solubiles.

Solutio aquosa Kalio jodato addito sedimentum flavum efficit; Ferro sesquichlorato admixto sedimentum album demittens colorem rubrum ducit.

Solutio aquosa (1=10) aut limpida sit aut ita leviter turbida ut *guttis nonnullis* Acidi acetici additis limpida fiat. Sedimentum addito exiguo Kalio ferrocyanato effectum sit coloris pure albi. Eadem solutione aquosa Acido hydrothionico prorsus praecipitata et filtrata, liquor efficiatur, qui evaporatus ne residuum relinquat.

Caute servetur.

Plumbum carbonicum.

Pulvis albus, ponderosus, in Aqua aut Spiritu insolubilis.

Sal in Acido acetico effervescens plane solvitur, in qua solutione Kalium jodatum sedimentum flavum efficit.

Solutio aquosa (1=10) ope Acidi acetici parata, Acido hydrothionico prorsus praecipitata, liquorem praebeat, qui filtratus et evaporatus ne residuum relinquat nisi perpaullum. Eadem solutio aquosa exiguo Kalio ferrocyanato adjecto sedimentum pure album demittat.

Plumbum oxydatum.

Lithargyrum.

Pulvis subflavus vel e rubro flavus, ponderosus vel crystalla lamellaria, in Aqua aut Spiritu non solubilia, in Acido acetico aut Acido nitrico diluto solubilia; calefacta liquescunt et colorem obscuriorem trahunt.

Solutio ope Acidi acetici effecta Kalio jodato addito sedimentum flavum dat.

Plumbum oxydatum *parte decemplici* Acidi nitrici diluti superfusum non gasum emittens nisi perpaullum ad liquorem limpidum vel paene limpidum solvatur. Qui liquor, *volumine dimidio* Acidi sulfurici diluti admixto ab Plumbo filtrando liberatus, si Liquore Ammonii caustici in excessu saturaveris colorem ne subcaeruleum trahat neve sedimentum subfuscum praebeat nisi perexiguum.

Si *grammata quinque* Plumbi oxydati, *pondere aequali* Aquae addito, cum *grammatis viginti* Acidi acetici paulisper coxeris et, refrigeratione facta, filtraveris, id, quod in filtro restiterit, bene elutum et exsiccatum ne plus sit quam *grammatum 0,05*.

In vasis bene clausis servetur.

Pulpa Tamarindorum.

Tamarindus Indica *Linn.*

Pulpa siliquarum, coloris nigro fusci, tenax, odoris levis, saporis peracidi, cui plerumque admixta sunt perpauca

semina dura, badia, fasciculi vasorum fibrosi, loculamenta seminum pergamena, fragmenta pericarpii.

Lamina ferrea polita, quae in Pulpa Aqua emollita imposita erit, ne colorem subrubrum trahat.

Pulpa mucida sive fermentata rejicienda est.

Pulvis aërophorus.

Natrii bicarbonici pulverati *grammata duo*...**2,**
Acidi tartarici pulverati *gramma unum et dimidium*.....**1,5**

Dispensetur Natrium bicarbonicum in charta colorata, Acidum in charta alba.

Pulvis aërophorus laxans.

Natrio-Kalii tartarici pulverati *grammata decem*.....**10,**
cum
Natrii bicarbonici pulverati *grammatis tribus*..**3**
mixta in charta colorata
et
Acidi tartarici pulverati *grammata tria*.....**3**
in charta alba dispensa.

Pulvis aromaticus.

Corticis Cinnamomi pulverati
Fructus Cardamomi pulverati
Radicis Zingiberis pulveratae
singulorum *partes aequales* misce.

○ Pulvis Doweri.

Pulvis Opii et Ipecacuanhae.

Opii pulverati.....**1,**
Radicis Ipecacuanhae pulveratae.....**1,**
singulorum *partem unam*
Sacchari Lactis pulverati *partes octo*.....**8**
caute misce.

In pulveris *partibus denis partes singulae* Opii continentur.

Caute, in vasis bene clausis, servetur.

Pulvis gummosus.

Gummi Arabici pulverati *partes duas*.....**2,**
Tragacanthae pulveratae *partem unam*.....**1,**
Sacchari pulverati *partes duas*.....**2**
misce.

Pulvis infantum.

Pulvis Magnesiae cum Rheo.

Magnesii carbonici *partes sex*.....6,
Radicis Rhei pulveratae *partes duas*.....2,
Elaeosacchari Foeniculi *partes quattuor*.....4
misce.

In vasis bene clausis servetur.

○ Radix Althaeae.

Althaea officinalis *Linn.*

Radices ab subere liberatae, ad digitum crassae; superficies albida et fasciculi libri tenues, tomentosi sunt. Sectio transversa corticem album, satis latum et partem lignosam radiatim striatam praebet.

Radix est saporis insipidi, mucilaginosi.

Radix Althaeae intus aut extrinsecus decolor aut valde lignosa ne adhibeatur.

Radix Colombo.

Jateorrhiza Calumba *Miers.*

Plerumque disci transversi, orbiculares vel ovales, ad *centimetros octo* diametro et *centimetros unum* ad *duo* crassi, plus minusve recurvati. Cortex flavus *millimetros*

fere *quinque* latus, subere rugoso coloris e fusco subviridis obtectus, zona cambii pulla, subtiliter radiata ab parte media terminatur. Haec pars media coloris subviridis aut subviridi flavi, utrimque inaequaliter depressa esse solet.

Radix est saporis peramari et Solutione Jodi humectata colorem caeruleum praebet.

Radix Coptidis.

Coptis anemonaefolia *Sieb. et Zucc.* et aliae **Coptidum** species.

Rhizoma, interdum ramosum, *millimetros unum* ad *quinque* crassum, ad *centimetros quattuor* longum, saepe recurvatum, passim gibbosum, radicibus secundariis multis, tenuibus praeditum.

Superficies e griseo flava; fractura acuta et aspera; sectio transversa corticem latum, intense aurantiacum et partem lignosam, duram, flavescentem praebet, quae partem medullarem satis latam, coloris intense aurantiaci aut cavum circumdat. Rhizomatis extremitati superiori saepe fragmenta petiolorum foliorum adhaerent.

Radix est odoris expers, saporis peramari.

Radix Filicis.

Aspidium Filix mas *Swartz.*

Rhizoma non decorticatum una cum foliorum basibus, radicibus et paleis repurgatum. Bases foliorum, ad *centimetros quinque* longae, *centimetrum* fere *unum* crassae, per fracturam transversam exhibent circiter octo fasciculos vasorum in tela subviridi; quorum majorem numerum truncus ipse praebet.

Radix Filicis est saporis subdulcis, paullum acerbi, acris.

Quotannis renovetur.

Radix Gentianae.

Gentiana scabra *Bunge* var. *α* **Buergeri** *Max.*

Et rhizomata et radices. Rhizomata ad *centimetros decem* longa, ad *millimetros quinque* crassa, coloris obscurius griseo fusci, irregulariter annullata. Parti superiori stigmata caulium, aut reliqua eorundem adhaerent; ex partibus lateralibus et inferiore complures radices exeunt. Sectio transversa coloris intense fusci in cylindro ligneo fasciculos vasorum inaequaliter diffluentes exhibet. Radices coloris e fusco flavi, ad *decimetros duos* longae, *millimetros tres* crassae, per longitudinem rugosae, in sectione transversa fusca, exhibent partem lignosam pullam vasis radiate circumspersis praeditam.

Radix Gentianae Amylum non continet; saporis est peramari.

Radicem Gentianae luteae Linn. et totam plantam Opheliae dilutae Led. loco Radicis Gentianae adhibere licet.

○ Radix Ipecacuanhae.

Cephaëlis Ipecacuanha *Willd.*

Radices vermium instar curvatae, plerumque non ramosae, dense annullatae, in utraque extremitate paullo tenuiores, *millimetros duos* ad *quinque* crassae, *centimetros quindecim* longae. Cortex griseus vel e subfusco griseus facile separabilis, fractura granulosa. Cylindrus ligneus, tenuis, coloris clare flavidi, exhibet sectionem transversam fere non radiatam et non vasculosam.

Cortex situm redolet et saporis est insuaviter amari.

Grammatis 0,2 Radicis Ipecacuanhae cum *centimetris cubicis decem* Acidi hydrochlorici conquassatis, id, quod filtrando effeceris, addita Solutione Jodi, colorem caeruleum, Calcaria chlorata inspersa colorem igneum ducit.

Grammata tria Radicis Ipecacuanhae ab cylindro ligneo liberatae et pulveratae cum *centimetris cubicis quinquaginta* Spiritus in lagena vitrea pensa, in balneo aquae, cavens ne Spiritus avolet, per horas duas coque et refrigerata, Spiritu evaporatione amisso suppleto, filtra. Liquoris filtrati *centimetris cubicis viginti quinque* in balneo aquae evaporatis, id quod restiterit cum *centimetris cubicis*

circiter *decem* Aquae Acido sulfurico diluto temperatae et *centimetris cubicis duobus* reagentis Mayeri vehementer conquassa. Liquor filtrando effectus, reagente Mayeri admixto, etiamnunc praecipitetur vel turbetur.

Radix ab cylindro ligneo liberata adhibeatur.

Caute servetur.

Radix Jalapae.

Tubera Jalapae.

Ipomoea Purga *Hayne.*

Tubera pyriformia vel paullum elongata, ponderosa, magnitudine pollicis ad illam pugni, interdum dissecta. Superficies rugosa, gibbosa, coloris e intense griseo fusci neque foliorum stigmata neque radices secundarias praebet. Fractura est cornea aut farinosa, neque vero fibrosa. In sectione transversa telae densissimae coloris e griseo subfusci dignoscuntur complures cellulae resiniferae pullae per zonas concentricas dispositae.

Radix Jalapae est odoris levis, peculiaris, interdum fumidi, saporis insipidi, deinde acris.

Radicis Jalapae pulveratae *grammatis decem* Spiritu maceratis, liquorem filtrando effectum, in balneo aquae evapora et id, quod restiterit Aqua calida elue, quoad liquor coloris expers defluxerit. Quod residuum exsiccatum sit non minus quam *grammatis unius* et ejus qualitatis quae sub Resina Jalapae descripta est.

Caute servetur.

Radix Liquiritiae.

Glycyrrhiza glabra *Linn.* var. **glandulifera** *Waldstein et Kitaibel.*

Radices stolonesque decorticati, coloris flavi, *decimetros* circiter *tres* longi, plerumque supra *centimetrum unum* crassi. Per fracturam sunt longissime fibrati, per sectionem transversam laxissimi, radiati.

Radix Liquiritiae est saporis peculiariter dulcis.

○ Radix Rhei.

Rheum officinale *Baill.* et aliae **Rhei** species in Asiae partibus altioribus nascentes.

Rhizomata decorticata, dura, saepe inaequaliter dissecta. Fractura granosa, non fibrosa. Superficies subflava plerumque pulvere obtecta est. Radicis Rhei tela densissima, ut e fractura recenti discutiendo effecta cognoscere licet, mixta est ex massa principali granosa, non fibrosa, nitide alba et radiis medullaribus e fusco rubris. Hi in partibus interioribus sine ordine diffluunt, superficiem versus orbes radiatos efficiunt *centimetri* summum *unius* diametro.

Radix Rhei est et odoris et saporis peculiaris; contrita pulverem flavo fuscum praebet.

Radix Salep.

Tubera Salep.

Cremastra Wallichiana *Lindl.* et variae **Ophrydeae.**

Tubera tempore floris vel proxime insequente effodienda in Aquam ebullientem immersa terguntur et siccantur. Tubera plerumque pyriformia vel elongata, rare ramosa, cornea, durissima. Superficies aspera, coloris e griseo fusci vel subfusci.

Tubera e Cremastra Wallichiana excepta reliqua foliorum basium concentrice dispositarum gerunt.

Tubera Salep pulverata, si cum *partibus centum* Aquae coxeris, mucilaginem insipidam, refrigeratione facta satis rigidam efficiunt, quae Jodo adjecto colorem caeruleum trahit.

Radix Sarsaparillae.

Smilax medica *Schlecht.* et aliae **Smilacis** species Americae centralis.

Radices, *decimetros* circiter *septem* longae, *millimetros quattuor* crassae, plerumque non ramosae, in superficie griseae vel griseo fuscae vel rubro fuscae, per longitudinem striatae vel sulcatae. Endodermidis orbem arcte clausum, fuscum, angustum in sectione transversa circumdatum esse apparet tela corticis multo latiore, pure alba, Amylo abundante.

Radix Sarsaparillae est saporis mucilaginosi, deinde acris.

Radices, quarum tela laxa est, aut Amylo egentes, ne adhibeantur.

Radix Scillae.

Bulbus Scillae.

Scilla maritima *Linn.*

Striae excisae e tunicis intermediis bulborum, *millimetros* circiter *tres* crassae, *centimetros quinque* longae, siccatae, corneae, diaphanae, coloris e subflavo albi sunt. Ope microscopii contemplanti fasciculi crystallorum acicularium inveniuntur.

Radix Scillae est saporis mucilaginosi, deinde acris, amari.

In vasis bene clausis servetur.

Radix Scopoliae.

Scopolia Japonica *Mixim.*

Rhizoma coloris griseo fusci, distincte rugosum, ad *decimetros unum et dimidium* longum, *centimetros duos* crassum, plus minusve curvatum, passim annullis constrictum. In parte superiore stigmata caulium, in

partibus lateralibus et inferiore reliqua radicum secundariarum resectarum dignoscuntur. Fractura granulosa; sectio transversa albida vel griseo fusca, spongiosa est. In sectione transversa pars corticalis, coloris clarioris et pars lignosa circumferentiam versus vasis radiatim dispositis praedita, quae medullam satis latam circumcludit, dignoscuntur.

Radix Scopoliae est odoris insuavis, saporis subacris.

Radicem Belladonnae, quam offert Atropa Belladonna Linn., loco Radicis Scopoliae adhibere licet.

Caute servetur.

Radix Senegae.

Polygala Senega *Linn.*

Radicis caput tuberosum, crebris caulium fragmentis et rubellis foliorum lepidibus praeditum, conjunctum cum radice supra annulata, *millimetros* summum *quindecim* crassa, ejusque ramulis raris, divergentibus, simplicibus. In cortice subfusco carina surgere solet, quae ramulum radicis circumdat. Ex adverso plerumque surgunt tori transversi. In sectione transversa et pars corticalis ad *millimetrum unum* crassa et cylindrus ligneus subflavus, qui medulla caret, crebris locis scissus et excavatus est, inveniuntur.

Radix Senegae est saporis mucilaginosi, deinde constanter acris, odoris levis, peculiaris.

Radix Taraxaci cum Herba.

Taraxacum officinale *Wigg.*

Tata planta tempore verno, priusquam efflorescat collecta et exsiccata. Folia sunt sessilia, runcinata. Radix fusca, *decimetros unum* ad *duos* longa, *centimetros dimidium* ad *duos et dimidium* crassa, per longitudinem sulcata. In sectione transversa invenitur cylindrus ligneus subflavus, non radiatus, parte corticali lata, circumdatus, quae pars crebra vasa lactifera, in annulos concentricos disposita praebet.

Radix Valerianae.

Valeriana officinalis *Linn.* var **angustifolia** *Miq.*

Rhizoma, *centimetros* circiter *duos* crassum, *centimetros quattuor* longum, confertum radicibus longis, fuscis, ad *millimetros duos* crassis. Radicem e transverso dissecanti apparet tenuem cylindrum ligneum cortice albido multo latiore circumdatum esse.

Radix Valerianae est odoris puculiariter fortis; saporis aromatici, subamari.

Radicem Valerianae officinalis Linn. loco Radicis capite descriptae adhibere licet.

Radix Zingiberis.

Zingiber officinale *Roscoe.*

Rhizoma palmate ramosum, a lateribus compressum, *centimetros tres* crassum, strato subereo griseo tectum. Fractura transversa granulosa, farinosa praebet multa receptacula oleifera aequabiliter inspersa telae albidae. In sectione transversa apparet cylindrum ligneum latum, parte corticali ad *millimetrum unum* lata esse circumdatum.

Radix Zingiberis plerumque in striis excisa et exsiccata est; odoris peculiariter aromatici, saporis acris.

Resina Guajaci.

Guajacum officinale *Linn.*

Frusta viridi fusca vel rubro fusca, fractura nitore vitreo; in particulis minutissimis pellucida; pulverata aëre viridescentia; calefacta liquescentia et odorem aromaticum emittentia.

Resina Guajaci in Liquore Natri caustici vel Spiritu solvitur, exceptis paucis ligni fragmentis. Solutio spirituosa, si Aquam temperaveris turbationem lacteam efficit; Ferro sesquichlorato addito colorem caeruleum ducit.

○ Resina Jalapae.

Radicum Jalapae crasse pulveratarum *partem unam*.....1,

Spiritus *partibus quattuor*.....4

additis, per viginti quattuor horas ita digere, ut saepius conquasses; refrigeratas exprime. Id, quod restiterit,

Spiritus *partibus duabus*.....2

iterum superfunde et fac sicut antea.

Jam postquam de his extractis mixtis et filtratis Spiritum destillando removeris, resinam, quae restiterit, Aqua calida usque eo elue, dum haec colorari desinat; tum in balneo aquae agitando sicca.

Massa coloris fusci, facile friabilis, in Aqua et Carboneo sulfurato non solubilis, in Spiritu facile solubilis.

Resina, in *parte decemplici* Liquoris Ammonii caustici calidi plane solvatur. Haec solutio refrigerata in gelatinam ne rigescat neve Acido hydrochlorico diluto saturata praecipitetur nisi perpaullum.

Caute servetur.

Resina Pini.

Pinus densiflora *Sieb. et Zucc.* **Pinus Thunbergii** *Parlat.*

Frusta flava vel fusco flava, irregularia, plus minusve pellucida, facile friabilia, fractura conchata, in Spiritu solubilia.

In Spiritu tantummodo exiguo residuo remanente, solvatur.

Resina Podophylli.

Podophyllinum.

Podophyllum peltatum *Linn.*

Resina e radicibus parata. Pulvis flavus vel viridi fuscus vel massa subflava vel griseo fusca, saporis amari; calore 100° non liquescens colorem obscuriorem ducit; in Aqua vix, in Aethere tantum ex parte solvitur.

Resina Podophylli cum Aqua conquassata ac deinde filtrata, liquorem praebet, coloris paene expertem, reactionis neutralis, qui Ferro sesquichlorato addito colorem subfuscum trahit. Idem, Liquore Plumbi subacetici addito, colorem flavum ducit et paullum opalescit; aliquot horis circumactis, flocculi coloris e rubro flavi subsidunt.

Resina Podophylli in *partibus decem* Spiritus calidi vel in *partibus centum* Liquoris Ammonii caustici plane solvatur. Solutio spirituosa Aqua diluta sedimentum fuscum efficiat; solutio ammoniacalis Acidis saturata item.

Ad cinerem redacta ex *partibus centum* re plus quam *partes duas* residui relinquat.

Caute servetur.

Saccharum.

Crystalla sicca, pure alba, odoris expertia, saporis perdulci, in Aquae *parte dimidio* solubilia.

Sacchari *grammata decem* cum Aquae *centimetris cubicis quinque* commixta liquorem limpidum coloris expertem efficiant, qui chartam exploratoriam non mutet et cum Spiritu quavis proportione limpide misceri possit.

Solutio aquosa (1 = 10) aut Ammonio oxalico, aut Argento nitrico, aut Baryo nitrico ne turbetur neve Aqua hydrosulfurata mutetur.

○ Saccharum Lactis.

Crystalla albida vel pulvis pure albus, odoris expers, saporis leviter dulcis, in *parte aequali* Aquae ebullientis facile, in *partibus* circiter *septem* Aquae frigidae lente solubilis, in Spiritu fere non solubilis.

Solutio aquosa cum Liquore Natrii carbonici fervefacta colorem flavum ducit. Bismuthum subnitricum insuper additum nigrescit, si ebullitio paulisper continuata erit.

Solutio aquosa (1 = 20) sit limpida, coloris expers neque chartam exploratoriam mutet; Argento aut Baryo nitricis tantummodo perpaullum turbetur. Acidi sulfurici *partes quinque* in patina porcellanica plane dilatatas, si Sacchari Lactis *parte una* calore 15° non superente consperseris, hora interjecta, color aut nullus oriatur aut vix.

Sal Carolinum factitium.

Natrium sulfuricum grosse contritum calori 35° non excedenti ita expone, ut a pulvere tectum sit. Salem plane dilapsum, calore circiter 50° sicca, donec ponderis *partem dimidiam* amiserit. Deinde per cribrum transmitte.

Cujus salis *partes quadraginta octo*.....**48,**
Kalii sulfurici *partes duas*.....**2,**
Natrii chlorati *partes quindecim*.....**15,**
Natrii bicarbonici *partes triginta quinque*.....**35**
in pulverem subtilem redactas misce.

Pulvis siccus, albus, in Aqua solubilis; Acidis superfusus vehementer effervescit.

○ Santoninum.

Crystalla lamellaria, coloris expertia, nitida, in luce flavescentia, reactionis neutralis, saporis amari, in Aqua frigida vix, fervida facilius, in Spiritus *partibus* circiter *quadraginta*, in Chloroformii *partibus quattuor*, in Liquoribus Alkali, in Aqua Calcariae solubilia; calore circiter 170° liquescunt, calore fortiore partim sublimantur, partim carbonescunt.

Solutio spirituosa, *guttis nonnullis* Liquoris Kali caustici additis, colorem coccineum ducit.

Santoninum in lamina platinea candefactum nullo residuo remanente deflagret.

Idem Acido sulfurico ne statim coloretur. Aqua Acido sulfurico diluto acidulata, quam cum Santonino conquassaveris et filtraveris, *exigua copia* reagentis Mayeri instillata, ne turbetur.

Caute, a luce remotum, servetur.

Sapo jalapinus.

Resinae Jalapae.....4

et

Saponis medicati singulorum *partes quattuor*...4,

in

Spiritus diluti *partibus octo*.....8

solutas, in balneo aquae continenter agitans adeo evapora, ut efficiantur

Partes novem.....9.

Sit coloris e fusco flavi, in Spiritu solubilis. Additis *partibus viginti* Aquae, solutionem paene limpidam efficiat, ex qua resina secedat nulla.

Sapo kalinus.

Liquoris Kali caustici, ponderis specifici 1,14 *partibus centum triginta quinque*.....135

Olei Lini *partes centum*.....100

in balneo aquae paullatim additis per semihoram continenter agitans caleface.

Quo facto

Spiritus *partibus viginti quinque*.....**25**

et, simulatque massa aequalis facta erit,

Aquae *partibus ducentis*.....**200**

paullatim affusis, fervefacere perge, donec effectum erit viscum saponis pellucidum, in Aqua fervida limpide solubile. Quod in balneo aquae agitans evapora, donec Spiritus aufugerit et pondus saponis confecti sit

Partium centum quinquaginta.....**150.**

Massa mollis, coloris subfusco flavi, pellucida, aequabilis, odoris exigui, non insuavis, et in Aqua et in Spiritu solubilis.

○ Sapo medicatus.

Liquoris Natri caustici ponderis specifici 1,16 *partibus centum viginti*.....**120**

in balneo aquae fervefactis paullatim adde

Adipis suilli.....**50**

et

Olei Olivarum singulorum *partes quinquaginta*.**50**

antea colliquefaciendo mixtas, tum per semihoram ita ferveface, ut agites.

Quo facto

Spiritus *partibus duodecim*.....12

et, simulatque massa aequalis facta erit,

Aquae *partibus ducentis*.....200

paullatim affusis, si opus fuerit, *exiguas partes* Liquoris Natri caustici adjiciens, fervefacere perge, donec effectum erit viscum saponis pellucidum, in Aqua fervida limpide solubile.

Jam liquorem, qui constat ex

Natrii chlorati *partibus viginti quinque*.....25

et

Natrii carbonici *partibus tribus*.....3,

in

Aquae communis *partibus octoginta*.....80

solutis, postquam filtraveris, adde et agitans porro ferveface, donec sapo prorsus secesserit.

Saponem, a lixivio separatum, identidem exigua Aqua ablue, tum vehementer expressum atque in frusta concisum loco tepido sicca.

Sit albus, non rancidus, et in Aqua et in Spiritu limpide vel paene limpide solubilis.

Solutio aquosa (1 = 50) Aqua hydrosulfurata ne mutetur neve, addito Liquore Hydrargyri bichlorati, sedimentum coloratum demittat.

In vasis bene clausis servetur.

Sebum bovinum.

Bos Taurus *Linn.*

Sebum ex textura adiposa liquefaciendo, lavando, Aquam removendo paratum, album vel subflavum.

Sebum bovinum colore 45 ad 50° ad liquorem limpidum, non rancidum liquescit. Si sebum cum Spiritu fervido conquassaveris, refrigeratione facta, filtraveris, liquor Aqua addita, chartam exploratoriam non mutet.

Secale cornutum.

Ergota.

Claviceps purpurea *Tulasne.*

Fungus in floribus graminearum, praecipue Secalis cerealis, nascens, eo tempore, quo ex incrementis capiendis requiescit, collectus.

Secale cornutum forma rotundate triangulari vel tetrangulari, saepe curvata, *centimetros* circiter *duos et dimidium* longum, *millimetros quattuor* crassum. Extrinsecus coloris intense griseo violacei, per longitudinem profunde sulcatum, intus album.

Secale cornutum est et odoris et saporis peculiaris, insuavis, non rancidi; qui odor fortior fit, si cum Liquore Natri caustici contritum erit.

Recenter pulveratum adhibeatur.

Caute, bene siccatum neque ultra annum unum, servetur.

Semen Amygdali dulcis.

Prunus Amygdalus *Stokes* var. **dulcis** *Baill.*

Semina asymmetre ovata, compressa, acute umbilicata, adversa parte obtuse rotundata, *centimetros* circiter *duos et dimidium* longa, *centimetros unum et dimidium* lata. Testa fusca, per longitudinem rugosa, cotyledones pure albas includit.

Semen Amygdali dulcis est saporis mitis oleosi, subdulcis.

Ne sit saporis rancidi neve, cum Aqua contritum odorem Olei Amygdalarum amararum aetherei exhalet.

Ad usum, Semina Aqua calida molliendo decortica.

Semen Colchici.

Colchicum autumnale *Linn.*

Semina, ad *millimetros tres* diametro, prope globosa, toro umbilici paullum acuminata. Testa fusca, dura, delicatissimis punctis distincta, albumen griseum conjunctim cum embryone perexiguo amplectitur.

Semen Colchici est odoris expers, saporis peramari.

Caute servetur.

Semen Lini.

Linum usitatissimum *Linn.*

Semina ovata, compressa, fusca, *millimetros quattuor* ad *quinque* longa; latera lubrica, convexa, nitida.

Semen Lini est odoris expers, saporis oleosi, mucilaginosi, non rancidi.

Seminum *una pars* cum Aquae *partibus viginti quinque* cocta mucilaginem limpidam efficiat, quae refrigerata Solutione Jodi addita ne colorem caeruleum trahat.

Semen Myristicae.

Myristica fragrans *Houtt.*

Nuclei seminis forma obtuse ovata vel propemodum globosa, *millimetros* circiter *viginti quinque* longi, ad *millimetros quindecim* crassi; superficies subfusca, rugosa, saepe pulvere albido conspergi vel sulco tenui trajici solet. Sectio transversa, striis fuscis in telam albidam penetrantibus, inaequaliter maculata est.

Semen Myristicae est et odoris et saporis aromatici, subamari.

Semen Physostigmatis.

Faba Calabarica.

Physostigma venenosum *Balfour.*

Semina ovalia vel oblonga, plus minusve reniformia, paullum compressa, *millimetros* circiter *triginta* longa, *millimetros quindecim* lata, *millimetros decem* crassa. Testa dura, fusca, nitida, duas cotyledones albas includit. Margo convexus per longitudinem sulco profundo trajecta est.

Caute servetur.

Semen Pruni Armeniacae.

Prunus Armeniaca *Linn.*

Semina asymmetrica, cordiformia, paullum compressa, *centimetros* circiter *unum et dimidium* longa, *millimetros duodecim* lata, acute umbilicata, adversa parte obtuse rotundata. Testa e rubro fusca, rugosa, cotyledones pure albas, saporis peculiaris subamari, includit.

Ne sit saporis rancidi; cum Aqua contritum odorem Olei Amygdalarum amararum aethereum exhalet.

Semen Sinapis.

Sinapis cernua *Thunb.*

Semina prope globosa, *millimetrorum unius et dimidii* diametro, coloris subfusco flavi; ope lentis opticae contemplanti testam delicate reticulatam foveatam esse apparet. Semina contrita pulverem flavum efficiunt. Semina pulverata Aqua humectata et seposita odorem fortem Olei Sinapis aetherei exhalent; eadem, si cum *pondere* Aquae *quinquagies* tanto majore coxeris, id quod filtratum erit, refrigeratum, Solutione Jodi addita, ne caeruleum colorem ducat.

Semen, quod offert Brassica nigra Koch, loco Seminis Sinapis adhibere licet.

Semen Strychni.

Strychnos Nux vomica *Linn.*

Semina disciformia saepe recurvata, in centro umbilicata, *millimetros* circiter *viginti quinque* diametro, ad *millimetros quinque* crassa. Superficies pilis e griseo flavis, nitoris sericei, a medio ad circumferentiam inclinantibus dense consita sunt.

Semina, Aqua mollita, secundum lineam marginalem saepe subacutam in partes geminas albuminis cornei, Amylo carentis dividi possunt, quae duas tenues cotyledones includunt.

Semen Strychni est odoris expers, saporis peramari.

Caute servetur.

Sirupi.

Ad Sirupum parandum Saccharum in liquoribus adhibendis ea proportione, quae praescripta erit, leni calore solve, deinde semel ad ebullitionem ferveface. Liquorem adhuc calidum per pannum laneum cola in lagenas bene siccatas et loco frigido serva.

Sirupi turbidi excepto Sirupo Zingiberis aut fermentati sunt rejiciendi.

Sirupus Althaeae.

Radicis Althaeae concisae *partes tres*.....**3,**

Aqua ablutas, deinde

Aquae communis *partibus quadraginta*.....**40**

superfusas, per horas duodecim macera, tum ope panni lanei cola, expressione non adhibita.

In cujus colaturae

Partibus triginta.....**30**

solve

Sacchari *partes quadraginta*.....**40.**

Sirupus limpidus, mucilaginosus, coloris paullum flavidi.

Sirupus Aurantii Corticis.

Tincturae Aurantii Corticis *partes quindecim*.15

cum

Sirupi simplicis *partibus octoginta quinque*.....85

misce.

Sirupus limpidus, coloris e flavo fusci, odoris suavis.

Sirupus Aurantii Florum.

In

Aquae Florum Aurantii *partibus quinque*.....5

Sacchari *partes novem*.....9

solve, calore non adhibito.

Sirupus limpidus, odoris suavis.

Sirupus Balsami Tolutani.

Balsami Tolutani *partes quattuor*.....4,

Sacchari *partes sexaginta quinque*.....65,

Aquae communis *partes triginta quinque*.....35

mixtas in vase tecto calore 80 ad 90° per horas duas digere; mixtionem refrigeratam cola.

Sirupus limpidus, coloris subflavi, odoris aromatici.

○ Sirupus Ferri jodati.

Ferri pulverati *partibus tribus*.....**3,**
Aquae *partibus quadraginta*.....**40**
superfusis, paullatim adde
Jodi *partes octo*.....**8;**
tum saepius agitando leni calore para solutionem subviridem, quae in
Sacchari *partes centum viginti quinque*.....**125,**
in patinam porcellanicam immissas filtretur.
Id quod in filtro restiterit elue
Aquae fervidae *partibus viginti tribus*.....**23**
Jam semel ad ebullitionem fervefaciendo efficiantur
Sirupi partes centum nonaginta quinque.....**195.**

Sirupus limpidus, coloris paene expers vel subviridi vel subflavi.

Sirupi *grammata viginti pondere duplici* Aquae diluta *centimetros cubicos 32,2* Liquoris Hydrargyri bichlorati decinormalis consumant, ut constanter praecipitentur, id quod *partibus quinque* Ferri jodati (FeJ_2) in *centum partibus* respondet.

In vase incolore, bene clauso, in quo frustum fili ferrei mundati immissum est, loco aprico, servetur.

Sirupus Ipecacuanhae.

Tincturae Ipecacuanhae *partem unam*.....1

cum

Sirupi simplicis *partibus novem*.....9

misce.

Sirupus limpidus, coloris subflavi.

Sirupus Rhei.

Radicis Rhei concisae *partes decem*.....10,

in

Aquae communis *partibus triginta*.....30

per horas duodecim macera, tum cola.

Id, quod restiterit, in

Aquae communis *partibus* circiter *quindecim*...15

per horas sex iterum macera et exprime.

Liquores commixtos filtra.

In cujus liquoris *partibus triginta quinque*...35,

Sacchari *partes sexaginta quinque*.....65

solve.

Sirupus limpidus, coloris fusco flavi.

Sirupus Senegae.

Radicis Senegae concisae *partes quinque*.....**5,**
Spiritus *partibus quinque*.....**5**
et
Aquae communis *partibus quadraginta quinque*.**45**
per biduum macera.
In
Colaturae expressae et filtratae *partibus quadraginta*.....**40,**
solve
Sacchari *partes sexaginta*.....**60**

Sirupus limpidus, coloris subflavi, Ferro sesquichlorato fusco viride tingatur.

Sirupus Sennae.

Foliorum Sennae concisorum *partes decem*...**10,**
Aquae ebullientis *partibus quadraginta*.....**40**
superfusas per horas sex macera.
In
Colaturae expressae et seponendo ab sedimento liberatae *partibus triginta quinque*.....**35,**
Sacchari *partes sexaginta quinque*.....**65**
solve.

Sirupus limpidus, coloris fusci.

○ Sirupus simplex.

Sacchari *partes sexaginta quinque*.....65

solve in

Aquae fervidae *partibus triginta quinque*.....35

Sirupus limpidus, et coloris et odoris expers, ponderis specifici 1,32.

Sirupus Zingiberis.

Tincturae Zingiberis *partes decem*.....10

cum

Sirupi simplicis *partibus nonaginta*.....90

misce.

Sirupus paullum turbidus, coloris subflavi.

○ Spiritus.

Liquor coloris expers, limpidus, volatilis, reactionis neutralis, odoris peculiariter penetrantis, saporis ustulantis, incensus flamma paullum lucente ardens, in Aqua quavis proportione misceri potest; ponderis specifici 0,830 ad 0,834.

Spiritus calore balnei aquae nullo residuo fixo remanente avoletur; ne Aqua hydrosulfurata neve Liquore Ammonii

caustici coloretur. Spiritus cum *volumine aequali* Acidi sulfurici vel Liquoris Kali caustici commixtus, brevi tempore ne coloretur.

Centimetris cubicis decem Spiritus cum *centimetro cubico uno* Solutionis Kalii permanganici commixtis, liquoris color ruber ne evanescat intra tertiam partem horae. *Grammatis quinquaginta*, quibus *guttas decem* Liquoris Kali caustici adjeceris, ad *grammata* circiter *quinque* evaporatis, id, quod restiterit, Acido sulfurico diluto, in excessu saturatum, ne odorem exhalet olei foetidi, quod vulgo Fusel vocatur.

Partes centum Spiritus circiter *octoginta sex* Alcoholis (C_2H_6O) contineant.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus aethereus.

Liquor Hoffmanni.

Aetheris *partem unam*.....1

cum

Spiritus *partibus tribus*.....3

misce.

Liquor limpidus, coloris expers, neutralis, plane volatilis, ponderis specifici circiter 0,81.

Cum *volumine aequali* Liquoris Kalii acetici conquassatus, Spiritus aethereus *volumen* suum *dimidium* liquoris aetherei emittat.

In vasis bene clausis, loco frigido, servetur.

Spiritus Aetheris nitrosi.

Liquor limpidus, coloris expers vel subflavescens, odoris suavis aetherei, saporis subdulcis, ustulantis, reactionis neutralis vel leviter acidae, in *volumine aequali* Aquae limpide misceri potest; ponderis specifici 0,84 ad 0,85.

Calore balnei aquae nullo residuo fixo remanente plane avoletur; crystallum Kalii bicarbonici in Spiritum adjectum ne bullulas efficiat.

Spiritus Aetheris nitrosi *centimetros cubicos quinque* in tubo vitreo *centimetros* circiter *duos* diametro cum *centimetris cubicis quindecim* Liquoris Ferri sulfurici (1 = 10) et *centimetris cubicis quinque* Acidi sulfurici diluti commixto, si vitreo bene clauso conquassaveris, color e nigro fuscus oriatur.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Ammoniae aromaticus.

Ammonii carbonici *partes quadraginta*.....**40,**

in mixtione ex

Liquoris Ammonii caustici *partibus centum*.**100**

et

Aquae *partibus ducentis*.....**200**

composita, solutas cum solutione ex

Olei Citri *partibus octo*.....8,

Olei Caryophyllorum *parte una*.....1,

Olei Lavandulae *parte una*.....1,

Spiritus partibus *sexcentis quinquaginta*.....650

parata, misce et filtra.

Liquor limpidus, coloris subflavi vel flavi, odoris aromatici simul ammoniacalis, ponderis specifici circiter 0,91.

Spiritus Ammoniae aromatici *centimetri cubici decem* ad neutralisandum *centimetros cubicos decem* ad *undecim* Liquoris Acidi normalis consumant, id quod in *centum partibus* circiter *duabus* Ammonii (NH_3) respondet.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Ammoniae foeniculatus.

Olei Foeniculi *partes tres*.....3,

in

Spiritus *partibus octoginta*.....80

solutas misce cum

Liquoris Ammonii caustici *partibus septendecim*.....17.

Liquor limpidus, coloris subflavi vel flavi, ponderis specifici 0,85.

Spiritus Ammoniae foeniculati *centimetri cubici decem* ad neutralisandum *centimetros cubicos octo et dimidium*

Liquoris Acidi normalis consumant, id quod in *centum partibus* circiter *1,7* Ammonii (NH_3) respondet.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus aromaticus.

Caryophyllorum *partes quindecim*.....**15,**
Corticis Cinnamomi *partes quindecim*.....**15,**
Seminum Myristicae *partes triginta*.....**30,**
Fructuum Cardamomi *partes triginta*.....**30**
contusas superfunde
Spiritus *partibus octingentis*.....**800,**
Olei Citri *parte una*.....**1,**
Olei Menthae *partibus duabus*.....**2,**
Aquae communis *partibus mille ducentis*....**1200.**
Quo facto destillando inde abstrahe
Partes circiter *mille*.....**1000.**

Liquor limpidus, et odoris et saporis aromatici, ponderis specifici circiter 0,90.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus camphoratus.

Camphorae depuratae *partes decem*.....**10**
solve in
Spiritus diluti *partibus nonaginta*.....**90**

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici circiter 0,90.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Chloroformii.

Chloroformii *partes quinque*.....5

cum

Spiritus *partibus nonaginta quinque*.....95

misce.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici circiter 0,857.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Cinnamomi.

Olei Cinnamomi *partes duas*.....2

cum

Spiritus *partibus nonaginta octo*.....98

misce.

Liquor limpidus, ponderis specifici circiter 0,84.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Citri.

Olei Citri *partes decem*.....10

cum

Spiritus *partibus nonaginta*.....90

misce.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici circiter 0,835.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus dilutus.

Spiritus *partes septem*.....7

cum

Aquae *partibus tribus*.....3

misce.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 0,892 ad 0,896.

In *partibus centum partes* Alcoholis (C_2H_6O) circiter *sexaginta* continet.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Foeniculi.

Olei Foeniculi *partes quinque*.....5

cum

Spiritus *partibus nonaginta quinque*.....95

misce.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici circiter 0,84.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Juniperi.

Olei Juniperi *partes duas*.....2

cum

Spiritus *partibus nonaginta octo*.....98

misce.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici circiter 0,835.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Lavandulae.

Olei Lavandulae *partes tres*.....3

cum

Spiritus *partibus nonaginta septem*.....97

misce.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici circiter 0,835.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Menthae.

Olei Menthae *partes decem*.....**10**

cum

Spiritus *partibus nonaginta*.....**90**

misce.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 0,842.

In vasis bene clausis servetur.

○ Stibio-Kalium tartaricum.

Tartarus emeticus.

Crystalla parva, diaphana vel pulvis crystallinus albus, paullum fatiscens, in Aquae frigidae *partibus septendecim*, in ebullientis *tribus* ad solutionem reactionis leviter acidae solubilis.

Sal candefactum odorem Sacchari tosti exhalans residuum alcalinum relinquit. Solutio aquosa, Acido hydrochlorico acidulata, addita Aqua hydrosulfurata, sedimentum coloris aurantiaci efficit.

Solutio aquosa (1 = 100), *parva copia* Acidi tartarici admixta, ne Baryo nitrico neve Argento nitrico neve Ammonio oxalico turbetur, neve Kalio ferrocyanato addito colorem caeruleum ducat.

Salis pulverati *gramma unum* in *centimetris cubicis decem* Acidi hydrochlorici solutum, *guttis quinque* Aquae hydrosulfuratae additis, ne per duas quidem horas sepositum flavescat.

Salis *gramma dimidium* in *centimetris cubicis quinquaginta* Aquae, *guttis quinque* Acidi hydrochlorici diluti acidulatae, solutum, si Acido hydrothionico saturaveris, sedimentum aurantiacum efficiatur, quod elutum et siccatum, deinde Carboneo sulfurato elutum et calore 100° siccatum sit ponderis *grammatum 0,25* ad *0,26*.

Caute servetur.

Stibium sulfuratum aurantiacum.

Pulvis subtilis, aurantiacus, odoris expers, in Aqua vel Spiritu non solubilis.

Pulvere in tubo exploratorio fervefacto, Sulfur sublimatur, massa nigra remanente. Si in solutionem hujus residui ope Acidi hydrochlorici paratum in lamina platinea frustulum Zinci metallicum injiceris, macula nigra oritur.

Stibium sulfuratum aurantiacum in Liquore Ammonii

sulfurati paene prorsus solvatur; cum *partibus ducentis* Liquoris Ammonii caustici fervefactum, item.

Stibii sulfurati *gramma unum* in Liquore Natri caustici solutum et Acido hydrochlorico diluto praecipita. Sedimentum sic effectum Aqua identidem elue, adhuc humidum cum solutione e *grammate uno* Ammonii carbonici et *centimetris cubicis viginti* Aquae parata, conquassa. Liquor filtratus Acido hydrochlorico addito, ne colorem flavum efficiat, quin etiam Aqua hydrosulfurata adjecta.

Partes viginti Aquae cum *parte una* Stibii sulfurati conquassatae et filtratae praebeant liquorem, qui Argento nitrico aut Ammonio oxalico non mutetur; Baryo nitrico addito tantummodo perpaullum opalescat.

Caute, a luce remotum, servetur.

Strychninum nitricum.

Acus crystallinae, coloris expertes, reactionis neutralis, in Aquae frigidae *partibus nonaginta*, in ebullientis *tribus*, in Spiritus *partibus septuaginta* solubiles, non in Aethere.

Si solutioni aquosae Liquorem Ferri sulfurici, Acidum sulfuricum addideris, color e nigro fuscus oritur. Ex solutione aquosa saturata Liquore Kalii bichromici crystallula coloris e rubro flavi praecipitantur, quae, Acido sulfurico admixto, colorem caeruleum ad violaceum ducunt.

Strychninum nitricum in lamina platinea candefactum nullo residuo remanente deflagret. Idem cum Acido nitrico contritum, ne colorem rubrum praebeat; in Acido sulfurico solutum ne coloretur.

Solutio aquosa Acido nitrico diluto acidulata, additis Baryo aut Argento nitricis tantummodo perpaullum turbetur.

Cautissime servetur.

Styrax liquidus.

Liquidambar orientalis *Mill.*

Balsamum e cortice interiore coquendo et exprimendo paratum; est glutinosum, coloris grisei, in stratis tenuioribus pellucidum, Aqua gravius, odoris suavis, saporis acris.

In *parte aequali* Spiritus calidi ad liquorem leviter turbidum, intense fuscum, reactionis acidae solvatur.

Styracis liquidi *grammata duo* in Spiritus ebullientis *grammatis centum* solve, et refrigerata filtra. Cujus liquoris *grammatis quinquaginta unum* evaporatis, id quod restiterit calore 100° per horas tres exsiccatum sit ponderis ne minus quam *grammatum 0,7*.

○ Succus Liquiritiae.

Extractum e Radicibus Liquiritiae coquendo exprimendoque paratum, et in formam perticularum nitide nigrarum, per fracturam conchatarum, saporis perdulcis redactum.

Ex *partibus centum* Extracti ne minus quam *partes sexaginta* in Aqua frigida solvantur; idem ope microscopii contemplanti ne grana Amyli in conspectum det.

Sulfur depuratum.

Sulfuris sublimati per cribrum transjecti *partes centum*.....**100**

cum

Aquae *partibus septuaginta*.....**70**

et

Liquoris Ammonii caustici *partibus decem*....**10**

contere. Quam mixtionem saepius permiscens per triduum sepone, tum

Aquae *partes centum*.....**100**

adde et filtra.

Jam Aqua prorsus elutam et siccatam per cribrum trajice.

Pulvis subtilis, siccus, coloris flavi, odoris saporisque expers; fervefactus liquescens; incensus flammam caeruleam praebens, odorem Acidi sulfurosi exhalans;

in Aqua aut Spiritu non solubilis, in Liquore Natri caustici ebulliente solubilis.

Fervefactum ita deflagret ut residuum relinquat exiguum.

Sulfur depuratum Aqua humectatum chartam exploratoriam caeruleam ne rubicet. Liquoris Ammonii caustici *partibus viginti* digestum, si filtraveris, praebeat liquorem, qui Acido hydrochlorico acidulatus colorem flavum non trahat, ne Aqua hydrosulfurata quidem addita.

Sulfur praecipitatum.

Pulvis subtilissimus, amorphus, coloris e albido flavi, fervefactus liquescens; incensus flammam caeruleam praebens, odorem Acidi sulfurosi exhalans; in Aqua vel Spiritu non solubilis, in Liquore Natri caustici ebulliente solubilis.

Ad reagentia se habeat sicut sub Sulfuro depurato dictum est.

○ Sulfur sublimatum.

Pulvis subtilis, coloris citrinei, fervefactus liquescens; incensus flammam caeruleam praebens, odorem Acidi sulfurosi exhalans; in Aqua vel Spiritu non solubilis, in Liquore Natri caustici ebulliente solubilis.

Candefactum ne residuum relinquat nisi perpaullum. Aqua humectatum chartam exploratoriam caeruleam ne rubicet nisi paullum.

Terebinthina.

Variae **Abiëtineae,** praecipue generis **Pini.**

Succus resinosus, spissus, coloris subflavi, odoris peculiaris, saporis amari; plerumque sedimentum crystallinum continens, quod calore balnei aquae in Terebinthina limpide solvitur.

Cum Spiritus *pondere quintuplo* solutionem limpidam efficit, quae chartam exploratoriam caeruleam Aqua humectatam rubefacit.

Thymolum.

Crystalla grandia, diaphana, coloris expertia, odoris saporisque aromatici, calore circiter 50° liquescentia, calore 230° ebullientia. Crystalla in Aquam injecta imam petunt, liquefacta Aquae supernatant; in Aqua paene non solubilia, facile solubilia in Spiritu, Aethere, Chloroformio, Acido acetico glaciali.

Fragmentum crystalli in *centimetro cubico* circiter *uno* Acidi acetici glacialis solutum, *guttis quinque* Acidi

sulfurici additis, si *nonnullas guttas* Acidi nitrici instillaveris, colorem intense caeruleum ducit.

Calore balnei aquae nullo residuo remanente avolet. Aqua, cum Thymolo conquassata, sit reactionis neutralis; Ferro sesquichlorato ne coloretur.

Caute servetur.

Tincturae.

Ad Tincturas parandas substantiae grosso modo pulveratae vel minutim concisae liquore ad extractionem adhibendo, in vasis non prorsus repletis et bene clausis superfusae, loco obscuro per dies praescriptos, aliquoties per diem agitando macerentur. Quo facto liquor decanthetur et residuum, si opus fuerit, exprimatur. Liquor loco umbroso sepositus, postquam subsederit, ope infundibuli lamina vitrea tecti filtretur et loco frigido, umbroso servetur.

Tinctura acida aromatica.

Corticis Cinnamomi grosso modo pulverati...5,
Radicis Zingiberis grosso modo pulveratae...5
singulorum *partes quinque*
Acidi sulfurici *partibus decem*.....**10,**

Spiritus diluti *partibus nonaginta*.....**90**

inter se caute mixtis superfunde et per dies quinque macera tum filtra.

Tinctura limpida, e fusco rubra, ponderis specifici circiter 0,95.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis servetur.

Tinctura Aloës.

Ex

Aloës grosso modo pulveratae *parte una*.....**1**

et

Spiritus *partibus quinque*.....**5**

paranda.

Tinctura intense fusca, saporis peramari, ponderis specifici 0,87 ad 0,91.

○ Tinctura amara.

Corticis Fructus Aurantii concisi *partes quinque*.....**5,**

Radicis Gentianae concisae *partes quinque*....**5,**

Fructuum Cardamomi grosso modo pulveratorum *partes duas*.....**2,**

Spiritus diluti *partibus centum*.....**100**

superfusas macera per dies quinque, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris e flavo fusci, ponderis specifici 0,90 ad 0,92.

Tinctura Arnicae.

Florum Arnicae concisorum *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus decem*.....**10**
superfusam macera per dies quinque, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris e flavo fusci, ponderis specifici 0,90 ad 0,91.

Tinctura aromatica.

Caryophyllorum grosso modo pulveratorum *partes duas*.....**2,**
Corticis Cinnamomi grosso modo pulverati *partes decem*.....**10,**
Fructuum Cardamomi grosso modo pulveratorum *partes duas*.....**2,**
Radicis Zingiberis concisae *partes quinque*.....**5,**
Spiritus diluti *partibus centum*.....**100**

superfusas macera per dies quinque, tum exprime et filtra. Colaturae ita effectae

Spiritus Citri *partes quinque*.....5

adde.

Tinctura limpida, coloris e fusco rubri, ponderis specifici 0,896 ad 0,920.

Tinctura Asae foetidae.

Asae foetidae grosso modo pulveratae *partem unam*.....1,

Spiritus *partibus quinque*.....5

superfusam macera per dies quinque, tum filtra.

Tinctura limpida, coloris e flavo rubri, ponderis specifici 0,84 ad 0,86.

○ Tinctura Aurantii Corticis.

Corticis Fructus Aurantii concisi *partem unam*.....1,

Spiritus diluti *partibus quinque*.....5

superfusam macera per dies quinque, tum filtra.

Tinctura limpida, coloris subfusci, ponderis specifici 0,90 ad 0,92.

Tinctura Benzoës.

Ex

Benzoës grosso modo pulveratae *parte una*....1

et

Spiritus *partibus quinque*.....5

paranda.

Tinctura limpida, coloris rubro fusci, ponderis specifici 0,86 ad 0,89.

Tinctura Cantharidum.

Cantharidum grosso modo pulveratarum *partem unam*.....1,

Spiritus *partibus decem*.....10

superfusam macera per dies quinque, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris flavo fusci, ponderis specifici 0,834 ad 0,840.

Caute servetur.

Tinctura Cascarillae.

Corticis Cascarillae grosso modo pulverati *partem unam*.....1,

Spiritus dilulti *partibus quinque*.....5

superfusam macera per dies quinque, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris rubro fusci, ponderis specifici 0,89 ad 0,91.

Tinctura Catechu.

Catechu pulverati *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus quinque*.....**5**
superfusam macera per dies quinque, tum filtra.

Tinctura limpida, coloris intense fusci, ponderis specifici 0,94 ad 0,96.

Tinctura Chinae.

Corticis Chinae pulverati *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus quinque*.....**5**
superfusam macera per dies decem, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris rubro fusci, ponderis specifici 0,90 ad 0,93.

Centimetros cubicos quinquaginta Tincturae Chinae in balneo aquae evapora, id quod restiterit, cum *centimetris cubicis* circiter *triginta* Aquae Acido sulfurico diluto acidulatae calore bene commixtum, post refrigerationem

tanto Aquae dilue, ut liquoris *centimetri cubici quinquaginta* fiant. *Centimetri cubici viginti quinque* liquoris, quem filtrando effeceris, sicut de Extracto Chinae praescriptum est, examinati, ne minus quam *grammata 0,15* substantiarum alcaloidearum dent, quae ad reagentia se habeant sicut sub Extracto Chinae dictum est.

Tinctura Cinnamomi.

Corticis Cinnamomi grosso modo pulverati *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus quinque*.....**5**
superfusam macera per dies quinque, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris rubro fusci, ponderis specifici 0,90 ad 0,92.

Tinctura Colchici.

Seminis Colchici pulverati *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus decem*.....**10**
superfusam macera per dies decem, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris flavi, ponderis specifici 0,894 ad 0,900; Ferro sesquichlorato addito colorem e viridi

fuscum ducat, sed non intense viridem.

Caute servetur.

Tinctura Colocynthidis.

Fructuum Colocynthidis ab seminibus mundatorum *partem unam*.....**1,**
Spiritus *partibus decem*.....**10**
superfusam per dies quinque macera, tum exprime; colaturam filtra.

Tinctura limpida, coloris flavi, ponderis specifici 0,835 ad 0,845.

Caute servetur.

Tinctura Croci.

Croci concisi *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus decem*.....**10**
superfusam per dies quinque macera, tum exprime; colaturum filtra.

Tinctura limpida, coloris intense aurantiaci, ponderis specifici 0,905 ad 0,910.

Tinctura Digitalis.

Foliorum Digitalis concisorum *partem unam.* **1,**
Spiritus diluti *partibus decem*.....**10**
superfusam per dies quinque macera, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris fusco viridis, ponderis specifici 0,896 ad 0,920.

Caute servetur.

Tinctura Ferri aetherea.

Liquoris Ferri sesquichlorati *partem unam*....**1,**
Aetheris *partes duas*.....**2,**
Spiritus *partes septem*.....**7**
inter se mixtas in lagenis incoloribus, non prorsus repletis, subere bene clausis solis radiis expone, donec color plane aufugerit. Quas loco umbroso sepositas interdum aperi, donec id, quod inest, colorem flavum reduxerit.

Tinctura limpida, coloris subflavi, ponderis specifici 0,850 ad 0,855.

Ex mixtura, quae habet *centimetros cubicos decem* Tincturae et *centimetros cubicos decem* Liquoris Kalii acetici, si seposita erit, *centimetri cubici tres* liquoris aetherei separentur.

In *partibus centum partem unam* Ferri continens.

Tinctura Ferri pomata.

Extracti Ferri pomati *partem unam*.....**1**

in

Spiritus *partibus duabus*.....**2**

et

Aquae Cinnamomi *partibus septem*.....**7**

inter se mixtis, solutam, filtra.

Tinctura limpida, intense fusco nigra, ponderis specifici 1,01 ad 1,03.

Tinctura Gallarum.

Gallarum pulveratarum *partem unam*.....**1,**

Spiritus diluti *partibus quinque*.....**5**

superfusam per dies quinque macera, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, e flavo fusca, ponderis specifici 0,94 ad 0,96.

Tinctura Gentianae.

Radicis Gentianae concisae *partem unam* **1,**

Spiritus diluti *partibus quinque*.....**5**

superfusam per dies quinque macera, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris rubro fusci, ponderis specifici 0,90 ad 0,93.

Tinctura Guajaci.

Ligni Guajaci grosso modo pulverati *partem unam*.....**1,**
Spiritus *partibus quinque*.....**5**
superfusam per dies quinque macera, tum filtra.

Tinctura limpida, intense rubro fusca, ponderis specifici 0,84 ad 0,85.

○ Tinctura Jodi.

Jodi *partem unam*.....**1**
in
Spiritus *partibus duodecim*.....**12**
solve.

Tinctura limpida, coloris intense e rubro fusci, Jodum redolens, calore plane volatilis, ponderis specifici circiter 0,89.

Grammata duo Tincturae Jodi, si *centimetros cubicos viginti quinque* Aquae et *gramma dimidium* Kalii jodati addideris, *centimetros cubicos undecim* ad *duodecim*

Liquoris Natrii subsulfurosi decinormalis requirant, ut decolorentur.

Caute, in vasis epistomiis vitreis bene clausis, servetur.

○ Tinctura Ipecacuanhae.

Radicis Ipecacuanhae pulveratae *partem unam* **1,**
Spiritus diluti *partibus decem*.....**10**
superfusam per dies quinque macera, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris rubro fusci, ponderis specifici 0,894 ad 0,910.

Centimetros cubicos decem Tincturae Ipecacuanhae in balneo aquae evapora, id quod restiterit in *centimetris cubicis* circiter *quinque* Aquae Acido sulfurico diluto acidulatae solve. Quam solutionem cum reagentis Mayeri *centimetro cubico uno* addito vehementer conquassa, liquor, quem filtrando effeceris, *copia parva* reagentis Mayeri admixta etiamnunc, si minus praecipitetur, tamen turbetur.

Caute servetur.

Tinctura Lavandulae composita.

Corticis Cinnamomi grosso modo pulverati *partes viginti*.....**20,**
Seminis Myristicae grosso modo pulverati *partes decem*.....**10,**
Caryophyllorum grosso modo pulveratorum *partes quattuor*.....**4,**
Ligni Santali rubri grosso modo pulverati *partes decem*.....**10,**
Spiritus *partibus septingentis*.....**700**
et
Aquae communis *partibus trecentis*.....**300**
inter se mixtis superfusas macera per dies quinque, tum exprime et cola.
Colaturae sic effectae
Olei Lavandulae *partes octo*.....**8**
et
Olei Rosmarini *partes duas*.....**2**
adde, tum filtra.

Tinctura limpida, intense rubra, saporis aromatici, ponderis specifici 0,895 ad 0,900.

Tinctura Lobeliae.

Herbae Lobeliae concisae *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus decem*.....**10**

superfusam per dies quinque macera, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, e fusco viridis, ponderis specifici 0,89 ad 0,90.

Caute servetur.

Tinctura Myrrhae.

Myrrhae subtiliter pulveratae *partem unam*...**1,**
Spiritus *partibus quinque*.....**5**
superfusam, per dies quinque macera, tum filtra.

Tinctura limpida, coloris fusco rubri, ponderis specifici, 0,835 ad 0,850.

○ Tinctura Opii.

Opii pulverati *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus quinque*.....**5**
et
Aquae *partibus quinque*.....**5**
inter se mixtis, superfusam per dies quinque macera, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris rubro fusci, ponderis specifici 0,974 ad 0,978.

In *grammatis decem* Tincturae pars solubilis *grammatis unius* Opii continetur.

Grammata octoginta Tincturae Opii in balneo aquae evaporando paene ad siccitatem redige. Residuum sic effectum, sicut de Opio praescriptum est, examina. Morphinum, quod inveneris, sit ponderis ne minus quam *grammatum 0,40* ad *0,48* et ad reagentia se habeat sicut sub Opio dictum est.

Caute servetur.

Tinctura Opii benzoïca.

Tinctura Opii camphorata.

Opii pulverati *partem unam*.....**1,**
Acidi benzoïci *partes quattuor*.....**4,**
Camphorae depuratae *partes duas*.....**2,**
Olei Foeniculi *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus centum nonaginta duabus*.....**192**

superfusas macera per dies quinque, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris subflavo fusci, ponderis specifici 0,895 ad 0,900.

In *partibus ducentis* Tincturae pars solubilis *grammatis unius* Opii continetur.

Caute servetur.

Tinctura Quassiae.

Ligni Quassiae concisi *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus quinque*.....**5**
superfusam per dies quinque macera, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris subfusco flavi, ponderis specifici 0,894 ad 0,905.

Tinctura Rhei.

Radicis Rhei grosso modo pulveratae *partes decem*.....**10,**
Corticis Cinnamomi grosso modo pulverati *partem unam*.....**1,**
Fructuum Cardamomi grosso modo pulveratorum *partem unam*.....**1,**
Spiritus *partibus quinquaginta*.....**50**
et
Aquae communis *partibus quinquaginta*.....**50**
inter se mixtis superfusas macera per dies quinque, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris fusco flavi, ponderis specifici 0,945 ad 0,960.

Tinctura Scillae.

Radicis Scillae concisae *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus quinque*.....**5**
superfusam per dies quinque macera, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris flavi, ponderis specifici 0,93 ad 0,95.

Tinctura Scopoliae.

Herbae Scopoliae concisae *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus quinque*.....**5**
superfusam per dies quinque macera, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris viridi fusci, ponderis specifici 0,90 ad 0,92.

Caute servetur.

○ Tinctura Strychni.

Seminis Strychni pulverati *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus decem*.....**10**
superfusam per dies quinque macera, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, flava, ponderis specifici 0,895 ad 0,910.

Grammata centum Tincturae Strychni in balneo aquae evapora, residuum cum *centimetris cubicis decem* Liquoris Acidi normalis calore bene commixtum, refrigeratione facta, ope filtri parvi in infundibulum separatorium filtra, tum filtrum ter *copia parva* Aquae elue. Liquorem in infundibulo separatorio, si eo modo, qui de Extracto Strychni praescriptus est, examinaveris, *grammata 0,2* ad *0,3* substantiarum alcaloidearum inveniantur, quae ad reagentia se habeant sicut sub Extracto Strychni dictum est.

Caute servetur.

○ Tinctura Valerianae.

Radicis Valerianae grosso modo pulveratae *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus quinque*.....**5**
superfusam per dies quinque macera, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris flavo fusci, ponderis specifici 0,905 ad 0,920.

Tinctura Zingiberis.

Radicis Zingiberis grosso modo pulveratae *partem unam*.....**1,**
Spiritus diluti *partibus quinque*.....**5**
superfusam per dies quinque macera, tum exprime et filtra.

Tinctura limpida, coloris flavo fusci, ponderis specifici 0,900 ad 0,905.

Tragacantha.

Variae species **Astragali** generis in Asia Minore et Citeriore nascentes.

Mucilago ex trunculis excepta, ad laminas striasque taeniatas aut falciformes indurata.

Massa tenax, cornea, semidiaphana, alba, aegre pulveranda, quae in Aqua magnopere intumescit; pulverata, *partibus quinquaginta* Aquae admixtis, mucilaginem praebet turbidam, inertem.

Trochisci.

Ad Trochiscos parandos substantia medicata siccata cum Saccharo pulverato commisceatur et Spiritu diluto adjecto, in pulverem humidum redigatur. Ex hoc pulvere

singuli Trochisci ponderis *grammatis unius* formentur et loco tepido sicceantur. Si necesse fuerit, massae Trochiscorum minimam copiam Tragacanthae admiscere licet.

Trochisci Acidi tannici.

Ex

Acidi tannici *partibus quinque*.....**5**

et

Sacchari pulverati *partibus nonaginta quinque*..**95**

parandi.

Trochisci singuli continent Acidi tannici *grammata 0,05*.

Trochisci Ferri lactici.

Ex

Ferri lactici *partibus quinque*.....**5**

et

Sacchari pulverati *partibus nonaginta quinque*..**95**

parandi.

Trochisci singuli continent Ferri lactici *grammata 0,05*.

Trochisci Ipecacuanhae.

Ex

Radicis Ipecacuanhae pulveratae *parte una*...**1**

et

Sacchari pulverati *partibus nonaginta novem*...**99**

parandi.

Trochisci singuli continent Radicis Ipecacuanhae *gramma 0,01.*

Trochisci Kalii chlorici.

Ex

Kalii chlorici pulverati *partibus decem*.....**10**

et

Sacchari pulverati *partibus nonaginta*.....**90**

caute parandi.

Trochisci singuli continent Kalii chlorici *gramma 0,1.*

Trochisci Natrii bicarbonici.

Ex

Natrii bicarbonici pulverati *partibus decem*...**10**

et

Sacchari pulverati *partibus nonaginta*.....**90**

parandi.

Trochisci singuli continent Natrii bicarbonici *gramma 0,1.*

Trochisci Santonini.

Ex

Santonini pulverati *partibus duabus*.....**2**

et

Sacchari pulverati *partibus nonaginta octo*.....**98**

parandi.

Trochisci singuli continent Santonini *grammata 0,02.*

Unguenta.

In Unguentis parandis, nisi aliud praescriptum erit, ita procedendum est, ut partes difficilius liquescentes per se liquefacias et tum demum facilius liquescentes addas. Massae semirefrigeratae medicamenta ita admisce, ut compositio aequabilis fiat.

Unguenta ne copia magna serventur; ea, quae facile decomponuntur, ne parentur nisi ad dispensationem.

Unguenta rancida sunt rejicienda.

Unguentum Glycerini.

Amyli *parti uni*.....1

cum

Aquae communis *parte una*.....1

contritae admisce

Glycerini *partes novem*.....9.

Quam mixtionem calore 140° non excedente perpetuo agitando caleface ut Unguentum refrigeratum aequabile, paene diaphanum fiat.

Unguentum Hebrae.

Unguentum diachylon.

Emplastri Lithargyri *partem unam*.....1

cum

Olei Lini *parte una*.....1

mixtam in patina porcellanica calore balnei aquae agitando ferveface, donec prorsus refrigerata erit.

Unguentum Hydrargyri album.

Ex

Hydrargyri praecipitati albi *parte una*.....1

et

Vaselini *partibus novem*.....9
parandum.

Ne paretur nisi ad dispensationem.

○ Unguentum Hydrargyri cinereum.

Adipis suilli *partes duodeviginti*.....18
cum
Sebi bovini *partibus quadraginta duabus*.....42
leni calore colliqueface. Mixtionis prorsus refrigeratae *partes novem* cum
Hydrargyri *partibus triginta*.....30
in patina ferrea contere.

Metallum per portiunculas minutas ita admisce, ut novam quantitatem tum demum adjicias, cum sine adjumento optico granula Hydrargyri dignoscere jam non possis. Postremo residuo mixtionis sebacicae adjecto, totum subtilissime misce.

Unguentum e subcaeruleo griseum, in quo Hydrargyri granula sine adjumento optico non sint cognoscenda.

Unguentum Hydrargyri flavum.

Ex
Hydrargyri oxydati flavi subtilissime pulverati
parte una.....1

et

Vaselini *partibus novem*.....9

parandum.

Ne paretur nisi ad dispensationem.

Unguentum Hydrargyri rubrum.

Ex

Hydrargyri oxydati rubri subtilissime pulverati *parte una*.....1

et

Vaselini *partibus novem*.....9

parandum.

Ne paretur nisi ad dispensationem.

Unguentum Scopoliae.

Extracti Scopoliae *partem unam*.....1

parva copia Aquae ad Extractum tenue redactam cum

Adipis suilli *partibus novem*.....9

contere.

Ne paretur nisi ad dispensationem.

○ Unguentum simplex.

Cerae flavae *partem unam*.....1

et

Olei Sesami *partes duas*.....2

calore balnei aquae agita, donec prorsus refrigerata erunt.

Unguentum stibiatum.

Ex

Stibio-Kalii tartarici subtilissime pulverati *partibus duabus*.....2

et

Vaselini *partibus octo*.....8

parandum.

Ne paretur nisi ad dispensationem.

Unguentum sulfuratum.

Ex

Sulfuris sublimati *parte una*.....1

et

Adipis suilli *partibus duabus*.....2

parandum.

○ Unguentum vesicans fortius.

Cantharidum pulveratarum *partes decem*.....**10,**
Olei Olivarum *partibus nonaginta*.....**90**
superfusas per horas duodecim in balneo aquae digere.
Quibus
Cerae flavae *partes septuaginta*.....**70,**
Terebinthinae *partes triginta*.....**30**
adde et agita, donec prorsus refrigeratae erunt.

○ Unguentum vesicans mitius.

Cantharidum pulveratarum *partes quinque*....**5,**
Olei Olivarum *partibus septuaginta*.....**70**
superfusas per horas duodecim in balneo aquae digere.
Quibus
Cerae flavae antea liquefactae *partes centum viginti quinque*.....**125**
adde et agita, donec prorsus refrigeratae erunt.

○ Unguentum Zinci.

Ex

Zinci oxydati subtilissime pulverati *parte una.* **1**

et

Adipis suilli *partibus novem*.....**9**

parandum.

○ Vaselinum.

Massa alba vel pallide flavescens, semidiaphana, unguinosa, calore infra 60° liquescens, ponderis specifici circiter 0,85; in Aqua prorsus, in Spiritu paene insolubilis.

In lamina platinea candefactum nullo residuo remanente deflagret. In Aethere solutum ne substantiam insolubilem relinquat nisi perpaullum; Aqua calida cum Vaselino conquassata ne chartam exploratoriam mutet.

Vaselini *grammatis quinque* cum Liquoris Natri caustici *grammatis viginti quinque* per semihoram conquassando digestis, tum cum *volumine aequali* Aquae commixtis, liquor, quem refrigeratum filtrando effeceris, Acido sulfurico diluto in excessu addito ne sedimentum aut substantiam oleosam praebeat.

Veratrinum.

Pulvis albus, laxus, etiam per portiuncula minima sternutationem fortem excitans, in Spiritus *partibus quattuor*, in Chloroformii *partibus duabus*, in Aetheris *partibus* circiter *sex*, in Acidis dilutis facile solubilis, in Aqua fervida perpaullum solubilis. Solutio aquosa saporis est acris, non amari, reactionis leviter alcalinae.

Cum Acido hydrochlorico coctum liquorem sanguineum praebet; cum *partibus* circiter *centum* Acidi sulfurici commixtum efficit, ut hoc calore e viridi flavo, qui paullo post in rubrum abit, fluorescat.

Candefactum ne ullo residuo remanente nisi exiguo deflagret.

Cautissime servetur.

Vina.

Vina paranda et servanda sunt sicut Tincturae.

Vinum album.

Liquor subflavus, odoris saporisque peculiariter suavis, reactionis leviter acidae, ponderis specifici, 0,99 ad 1,01.

In *centimetris cubicis centum grammata septem* ad

duodecim Alcoholis et *grammata unum et dimidium* ad *tria* substantiarum extractivarum continentur.

Vinum Colchici.

Seminis Colchici pulverati *partem unam*.....**1,**
Vini Xerensis *partibus decem*.....**10**
superfusam per dies decem macera, tum exprime et filtra.

Liquor limpidus, coloris e flavo fusci, Ferro sesquichlorato addito colorem e viridi fuscum ducat, sed non intense viridem.

Caute servetur.

Vinum Ferri.

Ferri citrici ammoniati *partes duas*.....**2**
solve in
Vini albi *partibus nonaginta octo*.....**98**
tum filtra.

Liquor limpidus, coloris e flavo fusci.

Vinum Ipecacuanhae.

Radicis Ipecacuanhae pulveratae *partem unam*.**1,**
Vini Xerensis *partibus decem*.....**10**
superfusam per dies decem macera, tum exprime et filtra.

Liquor limpidus, coloris e flavo fusci.

Caute servetur.

Vinum Opii aromaticum.

Laudanum liquidum Sydenhami.

Croci concisi **1,**
Corticis Cinnamomi grosso modo pulverati...**1,**
Caryophyllorum grosso modo pulveratorum..**1,**
singulorum *partem unam*
Spiritus diluti *partibus septem*.....**7**
et
Vini Xerensis *partibus octoginta quinque*.....**85**
inter se mixtis superfusam per dies quinque macera
Liquoris exprimendo effecti *partibus decem*.....**10**
adde
Opii pulverati *partem unam*.....**1**
et iterum per dies quinque macera, tum exprime et filtra.

Liquor limpidus aromaticus, coloris saturate fulvi.

In *grammatis decem* pars solubilis *grammatis unius* Opii continetur.

Grammata octoginta Vini Opii aromatici in balneo aquae paene ad siccitatem evapora. Residuum sic effectum, sicut de Opio praescriptum est, examina. Morphinum, quod, inveneris, sit ponderis ne minus quam grammatum *0,40* ad *0,48* et ad reagentia se habeat sicut sub Opio dictum est.

Caute servetur.

Vinum Pepsini.

Pepsini saccharati *partibus centum*.....**100**

cum

Glycerini *partibus quinquaginta*.....**50**

et

Aquae communis *partibus quinquaginta*.....**50**

ad pultem tenuem contritis, adde

Acidi hydrochlorici *partes quinque*.....**5**

et

Vini albi *partes mille octingentas*.....**1800**

inter se mixtas.

Quam mixtionem per dies septem ita sepositam, ut saepius agites, filtra.

Liquor limpidus, coloris subflavi.

Vinum stibiatum.

Stibio-Kalii tartarici *partem unam*.....**1**

in

Vini Xerensis *partibus ducentis quinquaginta*..**250**

solutam per triduum loco tepido sepositam filtra.

Liquor limpidus, coloris e fusco flavi.

Caute servetur.

Vinum Xerense.

Liquor e flavo fuscus, odoris saporisque peculiariter suavis, reactionis leviter acidae, ponderis specifici 0,985 ad 1,00.

In *centimetris cubicis centum grammata tredecim* ad *viginti* Alcoholis et *grammata duo et dimidium* ad *quinque et dimidium* substantiarum extractivarum continentur.

Zincum chloratum.

Pulvis albus, crystallinus vel bacilla cylindrica, reactionis acidae, in aëre dilabentia, in Aqua aut Spiritu solubilia.

Solutio aquosa addito, Liquore Ammonii sulfurati sedimentum album efficit; Argento nitrico adjecto, sedimentum album, in Acido nitrico diluto non solubile.

Solutio aquosa (1 = 2), *volumine triplici* Spiritus admixto, limpida remaneat vel ita turbetur, ut *gutta una* Acidi hydrochlorici limpida fiat.

Solutio aquosa (1 = 20), adjecto Acido hydrochlorico diluto, ne Aqua hydrosulfurata mutetur, neve Baryo nitrico praecipitetur. Eadem solutio Liquore Ammonii caustici abunde addito, liquorem limpidum, coloris expertem efficiat, qui Acido hydrothionico saturatus, sedimentum album demittat. Liquor ab sedimento filtratus, si evaporaveris et candefeceris, ne ullum residuum relinquat nisi perpaullum.

Caute, in vasis bene clausis, servetur.

Zincum oxydatum.

Pulvis amorphus, albus vel levissime flavescens, et odoris et saporis expers, in Aqua non solubilis.

Ardore colorem ad tempus flavum trahens.

Zincum oxydatum Aqua humectatum in *partibus decem* Acidi acetici non effervescens plane solvatur. Quae solutio Acido sulfurico diluto ne turbetur; Liquore Ammonii caustici abunde addito, limpide et incolor remaneat. Eadem solutio acetica, Liquore Ammonii sulfurati admixto, sedimentum album demittat neque filtratus, si evaporata et candefacta sit, ullum residuum relinquat.

Partes viginti Aquae cum *parte una* Zinci oxydati

conquassatae et filtratae, Baryo aut Argento nitricis adjectis, tantummodo opalescant.

○ Zincum sulfuricum.

Crystalla coloris expertia, reactionis acidae, aëre sicco lente fatiscentia, in Aquae *partibus 0,6* solubilia, in Spiritu non solubilia.

Solutio aquosa Liquore Ammonii sulfurati adjecto, sedimentum album dat; Baryo nitrico addito sedimentum album, in Acidis non solubile.

Cum Liquore Natri caustici fervefactum ne Ammonium exhalet.

Solutio aquosa (1 = 20) Argento nitrico ne turbetur, neve, Acido hydrochlorico diluto admixto, Aqua hydrosulfurata mutetur. Eadem solutio Liquore Ammonii caustici in excessu addito liquorem limpidum praebeat, qui Acido hydrothionico saturatus, sedimentum pure album efficiat. Liquor ab sedimento filtratus, si evaporaveris et candefeceris, nullum residuum relinquat.

Salis *grammata duo*, si cum Spiritus *centimetris cubicis decem* conquassaveris, post sextantem horae filtraveris, liquorem praebeant, qui Aquae *centimetris cubicis decem* dilutus chartam exploratoriam caeruleam ne statim rubefaciat.

Caute servetur.

REAGENTIA.

Ad reagentia substantiae purissimae adhibendae sunt.

Acidum aceticum.
Acidum aceticum glaciale.
Acidum hydrochloricum.
Acidum hydrochloricum dilutum.
Acidum hydrothionicum.
Gas Acidi hydrothionici elutum.
Acidum nitricum.
Acidum nitricum dilutum.
Acidum nitricum fumans.
Acidum oxalicum.
E solutione aquosa recrystallisatum et in aëre siccatum.
Acidum sulfuricum.
Acidum sulfuricum dilutum.
Acidum tannicum.
Solutio aquosa (1 = 20).
Acidum tartaricum.
Aether.
Aether absolutus.
Ponderis specifici 0,720.
Aether Petrolei.
Calore 40 ad 50° ebullit.
Ammonium carbonicum.
Solutio ex *parte una* Ammonii carbonici, *parte una* Liquoris Ammonii caustici, *partibus tribus* Aquae parata.

Ammonium chloratum.

Solutio aquosa (1 = 20).

Ammonium molybdaenicum.

Partes septem et dimidia Ammonii molybdaenici in *centimetris cubicis decem* Liquoris Ammonii caustici et *centimetris cubicis quadraginta* Aquae calore 50° non excedente solvantur. Liquorem refrigeratum et filtratum cum *centimetris cubicis quinquaginta* Acidi nitrici ponderis specifici 1,20 agitando misce.

Ammonium oxalicum.

Solutio aquosa (1 = 30).

Anilinum.

Aqua Barytae.

Solutio aquosa saturata.

Aqua bromata.

Solutio aquosa saturata.

Aqua Calcariae.

Aqua chlorata.

Aqua hydrosulfurata.

Solutio aquosa saturata.

Argentum nitricum.

Solutio aquosa (1 = 30).

Baryum chloratum.

Solutio aquosa (1 = 10).

Baryum nitricum.

Solutio aquosa (1 = 20).

Benzinum Petrolei.

Benzolum.

Calcaria hydrata.

Pulvis subtilis ex Calcaria usta Aqua exstingendo recenter parandus.

Calcium chloratum.

Solutio aquosa (1 = 10).

Calcium sulfuricum.

Solutio aquosa saturata.

Carboneum sulfuratum.

Charta exploratoria caerulea.

Charta bibula alba Solutione Laccae musci imbuta, deinde siccata.

Charta exploratoria lutea.

Charta bibula alba Tinctura, ex *parte una* Radicis Curcumae pulveratae et *partibus sex* Spiritus diluti digestione et filtratione parata, imbuta, deinde siccata.

Charta exploratoria rubra.

Charta bibula alba Solutione Laccae musci Acido phosphorico rubefacta, imbuta, deinde siccata.

Charta Zinci jodati cum Amylo.

Charta bibula alba Solutione Zinci jodati cum Amylo imbuta, deinde siccata.

Chloroformium.

Chloroformium absolutum.

Ponderis specifici 1,502.

Cuprum raspatum.

Ferrum sesquichloratum.

Solutio aquosa (1 = 10).

Ferrum sulfuricum.

Glycerinum.

Hydrargyrum bichloratum.

Solutio aquosa (1 = 20).

Jodum.

Kali causticum.

Kalium aceticum.

Solutio aquosa (1 = 3).

Kalium bichromicum.

Solutio aquosa (1 = 10).

Kalium chromicum.

Solutio aquosa (1 = 10).

Kalium ferricyanatum.

Kalium ferrocyanatum.

Solutio aquosa (1 = 10).

Kalium jodatum.

Kalium nitricum.

Kalium permanganicum.

Solutio aquosa (1 = 1000).

Kalium sulfocyanatum.

Solutio aquosa (1 = 20).

Liquor Ammonii caustici.

Liquor Ammonii sulfurati.

Liquoris Ammonii caustici *partes tres* Acido hydrothionico saturatae cum *partibus duabus* Liquoris Ammonii caustici mixtae.

Liquor Kali caustici.

Solutio aquosa (1 = 6).

Liquor Natri caustici.

Solutio aquosa (1 = 6).

Liquor Plumbi subacetici.

Magnesia hydrata pultiformis.

Sedimentum, quod ex *parte una* Magnesii sulfurici in *partibus quinque* Aquae soluta, *partibus duabus* Liquoris

Natri caustici additis, effeceris et bene elutum, Aqua affusa, ad *partes quattuor* auxeris. Liquor filtrando effectus ne Baryo nitrico turbetur.

Magnesium sulfuricum.

Solutio aquosa (1 = 10).

Natrio-Kalium tartaricum.

Natrium aceticum.

Solutio aquosa (1 = 5).

Natrium bicarbonicum.

Solutio aquosa saturata.

Natrium carbonicum.

Solutio aquosa (1 = 5).

Natrium chloratum.

Natrium metallicum.

Sub Petroleo servetur; ope chartae bibulae desiccatum, quisquiliis superficiei adhaerentibus resectis adhibeatur.

Natrium phosphoricum.

Solutio aquosa (1 = 20).

Natrium subsulfurosum.

Liquor normalis.

Natrium sulfuricum.

Natrium sulfurosum.

Pars una Natrii sulfurosi recenter parati in *partibus novem* Aquae soluta.

Natrum causticum.

Plumbum aceticum.

Solutio aquosa (1 = 10).

Platinum chloratum.

Solutio aquosa (1 = 20).

Reagens Mayeri.

Grammata 13,55 Hydrargyri bichlorati et *grammata quinquaginta* Kalii jodati ope Aquae ad *litram* soluta.

Reagens Nessleri.

Grammata triginta Kalii jodati et *grammata tredecim* Hydrargyri bichlorati in *centimetris cubicis octingentis* Aquae coque, tum liquori jam limpido tantum Solutionis Hydrargyri bichlorati frigore saturatae adde, quoad sedimentum non evanuerit, deinde *grammata centum sexaginta* Kali caustici et *grammata centum viginti* Natri caustici admisce, ope Aquae ad *litram* dilue, denique *parvam copiam* Solutionis Hydrargyri bichlorati adde.

Solutio Amyli.

Solutio aquosa, coquendo, diluendo, filtrando parata.

Solutio Argenti nitrici ammoniacalis.

Liquor limpidus, coloris expers, constans e *voluminibus aequalibus* Solutionis Argenti nitrici et Liquoris Ammonii caustici.

Solutio Jodi.

Pars una Jodi et *partes duae* Kalii jodati ope Aquae ad *partes centum* sulutae.

Solutio Laccae musci.

Pars una Laccae musci depuratae in *partibus nonaginta* Aquae et *partibus viginti* Spiritus soluta. Liquor filtratus ope Aquae ita diluatur, ut prope pelluceat.

Solutio Phenolphtaleïni.

Solutio coloris expers, ex *una parte* Phenolphtaleïni et *partibus centum* Spiritus diluti parata.

Solutio Zinci jodati cum Amylo.

Amyli *partes 0,4* cum Zinci jodati *partibus duabus* et Aquae *partibus decem* coque, quoad liquor fere limpide fierit. Cui liquori admisce solutionem e *parte 0,1* Zinci jodati puri, sicci et *centimetris cubicis centum* Aquae paratam. Liquor coloris expers, leviter opalescens.

Spiritus.

Spiritus absolutus.

Ponderis specifici 0,794.

Spiritus dilutus.

Stannum chloratum.

Solutio saturata ex Stanno raspato et Acido hydrochlorico calido parata, *nonnullis* frustulis Stanni raspati additis, servanda.

Stannum raspatum.

Zincum purum.

Sit liberum ab Arsenico.

LIQUORES NORMALES.

Liquor Alkali normalis.

Liquor in *litra* **Natri caustici** ($NaOH$) *grammata quadraginta continens.*

Cujus Liquoris *centimetri cubici decem* Acidi oxalici *grammata 0,63* ope Aquae soluta neutralisent.

Centimetrus cubicus unus Liquoris Alkali normalis est aequivalens:

grammatis 0,0600 Acidi acetici $C_2H_4O_2$.
„ *0,0365* Acidi hydrochlorici HCl.
„ *0,0630* Acidi nitrici HNO_3.
„ *0,0490* Acidi sulfurici H_2SO_4.

Liquor Alkali decinormalis.

Liquor in *litra* **Natri caustici** ($NaOH$) *grammata quattuor* continens.

Cujus Liquoris *centimetri cubici decem* Acidi oxalici *grammata 0,063* ope Aquae soluta neutralisent.

Liquor Acidi normalis.

Liquor in *litra* **Acidi sulfurici** (H_2SO_4) *grammata quadraginta novem* continens.

Cujus Liquoris *centimetri cubici decem* Liquoris Alkali normalis *centimetros cubicos decem* neutralisent.

Centimetrus cubicus unus Liquoris Acidi normalis est aequivalens:

grammatis 0,0170 Ammonii NH_3.
„ *0,1880* Kalii bitartarici cinefacti $C_4H_5KO_6$.
„ *0,0690* Kalii carbonici K_2CO_3.
„ *0,1175* Kalii tartarici cinefacti $(C_4H_4K_2O_6)_2+H_2O$.
„ *0,1410* Natrio-Kalii tartarici cinefacti $C_4H_4KNaO_6+4H_2O$.
„ *0,1430* Natrii carbonici $Na_2CO_3+10H_2O$.

Liquor Argenti nitrici decinormalis.

Liquor in *litra* **Argenti nitrici** ($AgNO_3$) *grammata septendecim* continens.

Natrii chlorati *grammata 0,058* in Aquae *centimetris* cubicis *circiter decem* soluta, *nonnullis guttis* Solutionis Kalii chromici additis, consumant *centimetros cubicos decem* hujus Liquoris, normalis ut color constanter rubescens appareat.

Centimetrus cubicus unus Liquoris Argenti nitrici decinormalis est aequivalens:

grammatis 0,0098 Ammonii bromati NH_4Br.
„ *0,0027* Acidi hydrocyanici HCN.
„ *0,0119* Kalii bromati KBr.
„ *0,0103* Natrii bromati NaBr.

Liquor Natrii chlorati deinormalis.

Liquor in *litra* **Natri chlorati** (NaCl) *grammata 5,85* continens.

Cujus Liquoris *centimetri cubici decem*, additis *nonnullis guttis* Solutionis Kalii chromici, *centimetros cubicos decem* Liquoris Argenti nitrici decinormalis reguirant, ut color constanter rubescens oriatur.

Centimetrus cubicus unus Liquoris Natrii chlorati decinormalis est aequivalens:

grammatis 0,0170 Argenti nitrici $AgNO_3$.

Liquor Jodi decinormalis.

Liquor in *litra* **Jodi** (J) *grammata 12,7* ope Kalii jodati *grammatum viginti* soluta continens.

Cujus Liquoris *centimetri cubici decem centimetris cubicis decem* Liquoris Natrii subsulfurosi decinormalis decolorentur.

Centimetrus cubicus unus Liquoris Jodi decinormalis est aequivalens:

grammatis 0,00495 Acidi arsenicosi As_2O_3.

Liquor Natrii subsulfurosi decinormalis.

Liquor in *litra* **Natrii subsulfurosi** ($Na_2S_2O_3+5H_2O$) grammata 24,8 continens.

Cujus Liquoris *centimetri cubici decem* Jodi *grammata 0,127*, ope Kalii jodati *grammatum 0,2* in Aquae *centimetris cubicis* circiter *decem* soluta, decolorent.

Centimetrus cubicus unus Liquoris Natrii subsulfurosi decinormalis est aequivalens:

grammatis 0,00355 Chlori Cl.
„ *0,01270* Jodi J.

Liquor Hydrargyri bichlorati decinomalis.

Liquor in *litra* **Hydrargyri bichlorati** ($HgCl_2$) *grammata 13,55* continens.

Kalii jodati puri, sicci *gramma unum* in Aquae *centimetris cubicis* circiter *duobus* solutum, *centimetros cubicos 30,12* hujus Liquoris consumat, ut color ruber constanter appareat.

Centimetrus cubicus unus Liquoris Hydrargyri bichlorati decinormalis est aequivalens:

grammatis 0,0310 Ferri jodati FeJ_2.
„ *0,0332* Kalii jodati KJ.
„ *0,0300* Natrii jodati NaJ.

TABULA I

exhibens

Medicamenta omni tempore in officina pharmaceutica prompta habenda.

Acidum arsenicosum.
Acidum boricum.
Acidum carbolicum.
Acidum hydrochloricum dilutum.
Acidum nitricum.
Acidum salicylicum.
Acidum sulfuricum dilutum.
Acidum tannicum.
Acidum tartaricum.
Aether.
Aloë.
Ammonium chloratum.
Antidotum Arsenici.
Antifebrinum.
Antipyrinum.
Aqua Ammoniae.
Aqua Calcariae.
Aqua destillata.
Aqua Pruni Armeniacae.
Argentum nitricum fusum.
Atropinum sulfuricum.
Balsamum Peruvianum.
Bismuthum subnitricum.
Calcaria usta.
Camphora depurata.

Chininum hydrochloricum.
Chloralum hydratum.
Chloroformium.
Cocaïnum hydrochloricum.
Cortex Chinae.
Cuprum sulfuricum.
Emplastrum adhaesivum Anglicum.
Emplastrum Resinae.
Extractum Filicis.
Extractum Gentianae.
Extractum Hyoscyami.
Extractum Scopoliae.
Extractum Secalis cornuti.
Ferrum subcarbonicum.
Folia Digitalis.
Glycerinum.
Gummi Arabicum.
Hirudines.
Hydrargyrum bichloratum.
Hydrargyrum chloratum.
Hydrargyrum oxydatum rubrum.
Jodoformium.
Kalium aceticum.
Kalium bitartaricum.
Kalium bromatum.
Kalium chloricum.
Kalium jodatum.
Kreosotum.
Liquor Ferri sesquichlorati.
Liquor Kalii arsenicosi.
Liquor Plumbi subacetici.
Magnesia usta.
Magnesium sulfuricum.
Morphinum hydrochloricum.
Natrium bicarbonicum.
Natrium salicylicum.

Natrium sulfuricum.
Oleum Cacao.
Oleum Foeniculi.
Oleum Jecoris.
Oleum Menthae.
Oleum Ricini.
Oleum Sesami.
Oleum Terebinthinae.
Opium
Pepsinum saccharatum.
Plumbum aceticum.
Pulvis Doweri.
Radix Althaeae.
Radix Ipecacuanhae.
Radix Rhei.
Resina Jalapae.
Saccharum Lactis.
Santoninum.
Sapo medicatus.
Sirupus Ferri jodati.
Sirupus simplex.
Spiritus.
Stibio-Kalium tartaricum.
Succus Liquiritiae.
Sulfur sublimatum.
Tinctura amara
Tinctura Aurantii Corticis.
Tinctura Jodi.
Tinctura Ipecacuanhae.
Tinctura Opii.
Tinctura Strychni.
Tinctura Valerianae.
Unguentum Hydrargyri cinereum.
Unguentum simplex.
Unguentum vesicans fortius.
Unguentum vesicans mitius.

Unguentum Zinci.
Vaselinum.
Zincum sulfuricum.

TABULA II

exhibens

Medicamenta, quae vulgo venenosa dicuntur, a reliquis separanda et locis seclusis **cautissime** servanda.

Acidum arsenicosum.
Apomorphinum hydrochloricum.
Atropinum sulfuricum.
Extractum Physostigmatis.
Hydrargyrum bichloratum.
Hydrargyrum bijodatum.
Hydrargyrum oxydatum flavum.
Hydrargyrum oxydatum rubrum.
Liquor Kalii arsenicosi.
Morphinum hydrochloricum.
Morphinum sulfuricum.
Oleum Crotonis.
Phosphorus.
Physostigminum salicylicum.
Pilocarpinum hydrochloricum.
Strychninum nitricum.
Veratrinum.

TABULA III

exhibens

Medicamenta fortiora a reliquis separanda
et **caute** servanda.

Acidum carbolicum.
Acidum carbolicum crudum.
Acidum chromicum.
Acidum hydrochloricum.
Acidum hydrochloricum crudum.
Acidum nitricum.
Acidum nitricum fumans.
Acidum sulfuricum.
Acidum sulfuricum crudum.
Amylium nitrosum.
Antifebrinum.
Antipyrinum.
Aqua Pruni Armeniacae.
Argentum nitricum crystallisatum.
Argentum nitricum cum Kalio nitrico.
Argentum nitricum fusum.
Bromum.
Camphora monobromata.
Cantharides.
Cerium oxalicum.
Chloralum hydratum.
Chloroformium.
Cocaïnum hydrochloricum.
Codeïnum.
Coffeïnum.
Collodium epispasticum.

Cuprum sulfuricum.
Cuprum sulfuricum aluminatum.
Extractum Cannabis Indicae.
Extractum Colocynthidis.
Extractum Hyoscyami.
Extractum Opii.
Extractum Scopoliae.
Extractum Secalis cornuti.
Extractum Strychni.
Folia Digitalis.
Fructus Colocynthidis.
Herba Cannabis Indicae.
Herba Hyoscyami.
Herba Scopoliae.
Hydrargyrum chloratum.
Hydrargyrum jodatum.
Hydrargyrum praecipitatum album.
Jodoformium.
Jodum.
Kali causticum.
Kalium chloricum.
Kalium jodatum.
Kreosotum.
Lactucarium.
Linimentum Scopoliae.
Liquor Guttae Perchae.
Liquor Plumbi subacetici.
Natrum causticum.
Oleum Sinapis aethereum.
Opium.
Pilulae Colocynthidis et Hyoscyami.
Plumbum aceticum.
Pulvis Doweri.
Radix Ipecacuanhae.
Radix Jalapae.
Radix Scopoliae.

Resina Jalapae.
Resina Podophylli.
Santoninum.
Secale cornutum.
Semen Colchici.
Semen Physostigmatis.
Semen Strychni.
Stibio-Kalium tartaricum.
Stibium sulfuratum aurantiacum.
Thymolum.
Tinctura Cantharidum.
Tinctura Colchici.
Tinctura Colocynthidis.
Tinctura Digitalis.
Tinctura Jodi.
Tinctura Ipecacuanhae.
Tinctura Lobeliae.
Tinctura Opii.
Tinctura Opii benzoïca.
Tinctura Scopoliae.
Tinctura Strychni.
Vinum Colchici.
Vinum Ipecacuanhae.
Vinum Opii aromaticum.
Vinum stibiatum.
Zincum chloratum.
Zincum sulfuricum.

TABULA IV

exhibens

Medicamentorum doses maximas in usum hominis adulti, ultra quas medicus ne praescribat ad usum internum nisi addito signo, quod est ▽.

	Grammata	
	Dosis maxima singula.	Dosis maxima pro die.
Acidum arsenicosum	0,005	0,02
Acidum carbolicum	0,1	0,5
Antifebrinum	0,4	2,0
Antipyrinum	1,0	3,0
Apomorphinum hydrochloricum	0,01	0,05
Aqua Pruni Armeniacae	2,0	8,0
Argentum nitricum crystallisatum	0,03	0,2
Argentum nitricum fusum	0,03	0,2
Atropinum sulfuricum	0,001	0,003
Camphora monobromata	0,3	2,0
Cantharides	0,015	0,05
Cerium oxalicum	0,2	1,0
Chloralum hydratum	2,0	6,0
Cocaïnum hydrochloricum	0,05	0,2
Codeïnum	0,05	0,2
Coffeïnum	0,3	1,0
Cuprum sulfuricum	1,0	—
Extractum Cannabis Indicae	0,1	0,4
Extractum Colocynthidis	0,05	0,2
Extractum Hyoscyami	0,2	1,0

	Grammata	
	Dosis maxima singula.	Dosis maxima pro die.
Extractum Opii	0,15	0,5
Extractum Physostigmatis	0,02	0,05
Extractum Scopoliae	0,05	0,2
Extractum Strychni	0,05	0,15
Folia Digitalis	0,2	1,0
Herba Hyoscyami	0,5	1,5
Herba Scopoliae	0,2	0,6
Hydrargyrum bichloratum	0,02	0,1
Hydrargyrum bijodatum	0,02	0,1
Hydrargyrum jodatum	0,05	0,2
Hydrargyrum oxydatum flavum	0,02	0,1
Hydrargyrum oxydatum rubrum	0,02	0,1
Jodoformium	0,2	1,0
Jodum	0,05	0,2
Kreosotum	0,2	1,0
Lactucarium	0,3	1,0
Liquor Kalii arsenicosi	0,5	2,0
Morphinum hydrochloricum	0,03	0,1
Morphinum sulfuricum	0,03	0,1
Oleum Crotonis	0,05	0,1
Opium	0,15	0,5
Phosphorus	0,001	0,005
Physostigminum salicylicum	0,001	0,003
Pilocarpinum hydrochloricum	0,02	0,05
Pilulae Colocynthidis et Hyoscyami	0,5	2,0
Plumbum aceticum	0,1	0,5
Radix Scopoliae	0,07	0,3
Resina Jalapae	0,3	1,0
Resina Podophylli	0,1	0,5

	Grammata	
	Dosis maxima singula.	Dosis maxima pro die.
Santoninum	0,1	0,3
Secale cornutum	1,0	5,0
Semen Strychni	0,1	0,2
Stibio-Kalium tartaricum	0,2	0,5
Stibium sulfuratum aurantiacum	0,2	1,0
Strychninum nitricum	0,01	0,02
Tinctura Cantharidum	0,5	1,5
Tinctura Colchici	2,0	5,0
Tinctura Colocynthidis	1,0	3,0
Tinctura Digitalis	1,5	5,0
Tinctura Jodi	0,2	1,0
Tinctura Lobeliae	1,0	5,0
Tinctura Opii	1,5	5,0
Tinctura Scopoliae	1,0	4,0
Tinctura Strychni	0,5	2,0
Veratrinum	0,005	0,02
Vinum Colchici	2,0	5,0
Vinum Opii aromaticum	1,5	5,0
Zincum sulfuricum	1,0	—

TABULA V

exhibens

Symbola chemica et pondera atomorum elementorum praecipuorum.

	Symbolum.	Pondus.
Aluminium	Al	27,0
Argentum	Ag	108,0
Arsenicum	As	75,0
Aurum	Au	196,5
Baryum	Ba	137,0
Bismuthum	Bi	207,0
Borum	Bo	11,0
Bromum	Br	80,0
Cadmium	Cd	112,0
Calcium	Ca	40,0
Carboneum	C	12,0
Cerium	Ce	141,0
Chlorum	Cl	35,5
Chromium	Cr	52,5
Cobaltum	Co	58,6
Cuprum	Cu	63,2
Ferrum	Fe	56,0
Hydrargyrum	Hg	200,0
Hydrogenium	H	1,0
Jodum	J	127,0
Kalium	K	39,0
Lithium	Li	7,0

	Symbolum.	Pondus.
Magnesium	Mg	24,0
Manganum	Mn	55,0
Molybdaenum	Mo	96,0
Natrium	Na	23,0
Niccolum	Ni	58,6
Nitrogenium	N	14,0
Oxygenium	O	16,0
Phosphorus	P	31,0
Platinum	Pt	194,4
Plumbum	Pb	207,0
Silicium	Si	28,0
Stannum	Sn	118,0
Stibium	Sb	120,0
Sulfur	S	32,0
Zincum	Zn	65,0

INDEX NOMINUM.

B.

C.

M.

N.

O.

P.

R.

S.

T.

U.

V.

Z.

明治二十五年四月二十五日印刷
明治二十五年四月二十五日出版

翻刻發行者　松下包次郎
横濱市辨天通四丁目六十三番地

印刷　印刷局